

CRITICON ET EXEGETICON

PARS TERTIA.

SCRIPSIT

I. KOENIGHOFF.



CRITICON ET EXERCITICON

PARA TERTIA

TERTIA

L. KOENIGSBERG



Quintum poscor, mihiqve vel cupienti vel non recusanti ut aliquid a litterarum studiis profectum adderem scholarum indici evenit. Cui officio quo modo optime satisfacerem deliberanti quam viam eadem occasione oblata bis iam non inhoneste me ingressum esse viri intelligentes doctique iudicarunt in ea visum est nunc persistere, ex iisque locis, quos cum in Graecis Latinisque versarer scriptoribus legendis ab aliis aut perperam explicatos esse inveniebam aut non recte scriptos, tot eligere, quot eius modi scriptionis genere apte possent tractari. Ita autem equidem existimo, in praestantiorum numero qui habentur scriptores veteres si dubitari non potest quin sani subtilisque iudicii et recte atque eleganter scribendi sincera et sint et futura sint exempla, operae pretium esse, quae in eorum libris depravata sint ad incorruptam revocare integritatem conari, quaeque aliter ac debent intellecta aut obscuritate quadam involuta, iustum in modum interpretari quantumque fieri possit in clara luce collocare.

I.

Quod Godofredus Hermannus prudenter indicavit Opusc. vol. II p. 266, Richardum Bentleium saepe fervidioris naturae impetu abreptum in iis esse retentum, quae ad primum aspectum non satis commode dicta viderentur, eaque tam cupide emendasse, ut suis ipse disputandi artificiis captus non videret illa ex quibus nullam esse emendandi necessitatem intelligere potuisset, id, nisi ipsi iudicio lapsi sumus, loco Tusculanarum disputationum, quem iam a coniecturarum libidine conabimur defendere, satis comprobare posse nobis videmur. Initio capitis octavi libri primi codices consentiunt in hac scriptura: *M. Ecqui ergo intelligis quantum mali de humana condicione deieceris? A. Quonam modo? M. Quia, si mori etiam mortuis miserum esset, infinitum quoddam et sempiternum malum haberemus in vita: nunc video calcem, ad quam cum sit decursum nihil sit praeterea extimescendum.* Nam quod in his verbis notatum est varietatis, ut *ecquid* pro *ecqui*, parvi est momenti. Haesit autem in iis Bentleius. 'Aut ego', inquit, 'dialectica perversissime didici, aut falsissimum est, quod hic infertur ut consequens. Quid enim? concedamus mori etiam mortuis miserum esse: ideone *in vita* sempiternum malum haberemus? minime vero: nam certe non ante mortem. Noli credere Ciceronem tam prave et inscite argumentari: sic enim lege et distingue: *Quia si mors etiam mortuis miserum esset, infinitum quoddam et sempiternum malum haberemus. In vita nunc video calcem* cet. Vides, opinor, novam iam lucem exoriri. *Mors* lego non *mori*: hoc enim in puncto temporis fit, illa sempiterna.'

Bentleii auctoritati ac iudicio cum cessasse viderem Kritziūm Ephemerid. schol. a. 1830 p. 900 Kühnerum alios, eos autem, qui obsecuti non essent, illa verba non eo quo oporteret

modo a coniecturis vindicasse existimarem, omnia vere pronuntiata recteque conclusa esse, quantum quidem possem, demonstrare visum est. Ac primum quidem, si res bene cesserit, tuebimur illud *mori* hisce verbis non sane lenibus a Kühnero damnatum: 'Quid, quaeso, absurdius cogitari potest, quam sententia, quam praebet lectio *mori*? Qui tandem h. l. ubi de *iam mortuis* agitur, commemorari potest *moriendi* actio h. e. transitus ex vivorum condicione in mortuorum? At *mortis* nomen optime convenit in hunc locum; *mors* enim *mortuorum* intelligenda est status, in quo mortui versantur.' Ac qui in eadem sunt sententia probabilem vocabuli *mortis* depravandi causam invenisse sibi videntur in neutro *miserum*, quod quo referrent librarii non habuissent. Sed hi omnes non satis attenderunt illud *etiam*, quo cogimur sententiam hunc in modum supplere: si *mori* non solum vivis *miserum* esset, sed etiam mortuis i. e. si *miserum* illud, quod in moriendo esset, quodve e moriendo consequeretur, non solum ad vivos sed etiam ad mortuos pertineret cet. Qua sententia quid alieni aut offensionis contineatur ut equidem non perspicio, ita Klotzium Ciceronis verba reddentem: 'Wenn es auch für die Todten ein Unglück wäre, todt zu sein' a vero aberasse iam patere arbitror. Rectius ex novissima Kühneri editione Nauckium cognovi illud *mori* interpretatum esse eam hominum condicionem, qua moriendum esset omnibus, sive moriendi necessitatem, quam sententiam, cum sit aptissima, Kühnerum dixisse ab hoc loco abhorrere est sane quod mirere.

Illud speciosius dictum est, verba *in vita* ad ea quae sequerentur referenda esse. Cum enim auditor, sive adolescens est, quod posuerat, malum sibi videri esse mortem et iis, qui mortui essent et iis, quibus moriendum esset, ita coactus mutasset, ut non esse miseros, qui mortui essent, concederet, videtur sane hoc solum recte effici: si *mori* etiam mortuis *miserum* esset, infinitum quoddam et sempiternum malum haberemus. Nunc vero, cum idem sit vitae atque mali finis, malum illud finitum est ac vitae terminis circumscriptum. Quo concessio ac probato consequitur sane, ut verba *in vita* coniungenda esse cum superioribus negemus. Neque tamen Bentleii rationem probandam esse censeo, neque G. Tischeri assentiendum, verba *in vita*, quae explicationis causa vocabulo *calcem* ascripta esse parum acute opinatur, inducenti. Illud vero propter ea, quae 6,11 dicta sunt: 'Si ergo apud inferos miseri non sunt, ne sunt quidem apud inferos ulli' facere non possum, ut vulgatum tuear ad Orellii exemplum interpretans *iam in vita*, neque ei rei, quam nonnulli recte illi quidem, si quid video, obtinent, non potuisse *nunc* vocabulis *in vita* postponi, multum tribuo, cum ex iis, quae de hac re in utramque partem disputata sunt, quam sit lubricum eius modi iudicium satis appareat. Neque vero hoc mirandum non est, ab omnibus id, quod maximum in expedienda huius loci difficultate momentum facit, neglectum esse. Paulo supra enim A. dicit: *Age iam concedo, non esse miseros, qui mortui sint, quoniam extorsisti, ut faterer, qui omnino non essent, eos ne miseros quidem esse posse.* His deinde M. subicit illa: *Ecqui ergo intelligis* cet. Quamdiu igitur auditor non concesserat, non esse miseros qui mortui essent, condicio humana onere infiniti et sempiterni mali premebatur, cum mors et iis qui mortui essent et iis quibus moriendum esset malum videretur esse. Condicio autem humana, quae iam altera illius mali parte levata est, si sententiam illam, homines post mortem nullos iam esse, ratam habemus, vitae terminis continetur. Ergo infinitum in vita nullum ex morte posse malum esse quam maxime dicendum atque efficiendum est, cum cogitatione illa tristi, mortuos etiam miseros esse, homines liberati

sint, et solatium quoddam illius mali inde existat, quod ad calcem cum decursum sit nihil sit praeterea extimescendum. Illud autem malum, quamquam vita terminatur ac finitur, quod sempiternum appellatur, in ea re nemo haerebit qui meminerit, Ciceronem orat. IV in Catil. c. 4 vincula et ea sempiterna ad singulorum poenam nefarii sceleris dixisse inventa esse. Tantum igitur, ut iam concludam, abest, ut Bentleius, quod Kühnero visum est, verba *in vita* a superioribus secernendo et ad ea, quae sequuntur referendo egregie Ciceronis locum emendasse dici possit, ut cum omnis hoc modo ratio pervertatur Ciceronem ne ita scribere quidem, aut tali argumentatione uti potuisse existimandum sit.

II.

De oratione Ciceronis Planciana Eduardum Wunderum, quod multis in locis verba Ciceronis et melius ad pristinam integritatem revocavit et rectius explicavit, quam qui antea in utroque genere versati erant, bene meritum esse, nemo facile erit qui illius viri operam et studium in hac re collocatum accuratius cum cognoverit in dubium vocare audeat. Ac Ciceronis orationis splendori postquam prava interpretantium sedulitate aut describentium parum attentam diligentiam hic illic additamenta sibi persuasit adpersa esse, rivulos unde illa fluxerint consecrari maleque inlata expellere studuit. Sed haec res praesertim in oratore magnam habet cautionem, ac non numquam mihi sine iusta causa quae libris manu scriptis tradita sunt num vera et proba essent videtur dubitatum esse, ut doleas fuisse qui Wunderi auctoritatem sequendam esse putarint. Et eiusmodi quidem locus, quo a Wunderi opinione recedendum esse censeo, est 20,49: *Sed cur ego sic ago? quasi non comitiis iam superioribus sit Plancius designatus aedilis; quae comitia primum habere coepit consul cum omnibus in rebus summa auctoritate tum harum ipsarum legum ambitus auctor; deinde habere coepit subito praeter opinionem omnium, ut ne si cogitasset quidem largiri quispiam daretur spatium comparandi. Vocatae tribus latum suffragium, diribitae renuntiatae; longe plurimum valuit Plancius: nulla largitionis nec fuit nec esse potuit suspicio.*

Verba, quorum mihi ratio potissimum habenda est, sunt illa postrema: 'Vocatae tribus — suspicio.' Et leguntur haec ita ut scripsi in omnibus quotquot inspecti et collati sunt libris, nisi quod pro *diribitae* plurimi habent *descriptae*, nonnulli aut *rescriptae* aut *describitae*. In codicibus autem optima notae, Bavarico sive, quo nomine iam notabo, Tegernscensi et Erfurtensi, cum inveniatur *diribitae*, iam olim Wunder, *Praef. ad variar. lect. ex cod. Erf. enot.* p. CXLI sqq. docuit, ex horum librorum auctoritate scripturam *diribitae* recipiendam esse. Neque tamen hoc modo omne vitium, quo locus illi affectus esse videtur, sublatum esse putat, sed post *diribitae* vocabulum *tabellae* inseruit, et quod proximum est verbum *renuntiatae* eiecit. Quod quibus causis commotus fecerit ipsum quaeso explicantem audiamus. Postquam enim eo quem dixi loco *diribitae* verum esse ostendit et *tabellae* addendum esse censuit, ita scribit *Commentar. orat. Planc.* p. 141: 'Aliquid tamen etiam nunc hoc in loco me offendit, verbum dico *renuntiatae*, quod nescio an ab antiquo interprete additum sit. Quod ut credam, tribus commoveor causis. Primum *renuntiari* et homines quidem solent, quibus magistratus demandatus est, et suffragia dici, verum numquam *tabellae* aut dictae sunt ab antiquis

scriptoribus renuntiatae aut recte dici potuerunt. Itaque iam ipsa elocutio per se aliquid habet offensionis. Deinde addito hoc verbo *renuntiatae* membrorum etiam aequalitas evertitur, quae omisso eo egregia est: *Vocatae tribus; latum suffragium; diribitae tabellae: longe plurimum valuit Plancius*. Denique magis etiam intelligitur, qui factum sit, ut vox *tabellae* omitteretur, si *renuntiatae* ab interprete super vocem *tabellae* scriptum statuimus. Nunc enim genuinam vocem *tabellae* recepto verbo superscripto expulsam esse perspicuum est.

Nihil praesidii ad eam, quam Wunder de hoc loco proposuit, sententiam confirmandam a libris scriptis peti posse supra iam demonstratum est; vocem *tabellae* autem vocabulo *renuntiatae* expulsam esse mera est opinio, quae mihi quidem nihil prorsus habere videtur probabilitatis. Et quod Wunder dicit addito verbo *renuntiatae* membrorum aequalitatem everti, hoc ita verum est, ut ab ipso Wundero inaequalitas illa intruso nomine *tabellae* effecta sit, quam eiecto verbo *renuntiatae* sublatam cupit. Nihil autem ad orationis concinnitatem, cuius Cicero sane imprimis studiosus est, desideratur, si retinemus librorum scripturarum, cuius quae ratio esset iam supra mea distinctione ut pateret operam dedi. Ab initio enim bina membra in unum quasi coaluerunt, quidque inde effectum sit verbis 'longe plurimum valuit Plancius' significatur, quibus omnibus iam postrema accedit pars, qua quod Cicero gravissimum sit ex antecedentibus colligi dices, id quod patebit hac explicatione, quam, si verba spectas, per me licet parum Latinam dicas, dum modo quae sententiarum ratio sit cognoscatur: 'Postquam tribus ad suffragium vocatae sunt et post diribitionem renuntiatio facta est, Plancium longe plurimum valere cognitum est ita ut nulla largitionis nec fuerit nec esse potuerit suspicio.' Restat ut de eo argumento quaeramus, quod Wunder primum posuit. Negavit enim umquam *tabellas* aut dictas esse ab antiquis scriptoribus *renuntiatas* aut recte dici potuisse. Et hoc quidem ille recte fecit. Tantum autem abest ut ob eam causam verbum *renuntiatae* in dubium vocari possit, ut de nomine *tabellae*, si id in libris legeretur, eiciendo cogitandum videatur. Itaque ob hanc causam et propter membrorum aequalitatem sublatam non recte fecisse Baiterum existimo, quod in altera Cic. opp. edit. Orell. Wunderum ex parte secutus descripsit: *diribitae tabellae, renuntiatae*.

At eodem revolvimur, manetque ut videtur difficultas non minor, nam fortasse quis dixerit, ne tribus quidem, quo verba *diribitae renuntiatas* referenda sunt, dici posse diriberi aut renuntiarum. Cicero autem si 19, 48 et 22, 53 saepius dixit tribum ferre, et 20, 49 centuriam ferre, quod idem est ac puncta sive suffragia tribus aut centuriae ferre, quid est, cur ei negemus licuisse 'diribere tribus' dicere, ita ut sit suffragia tribus diribere; est autem 'suffragia diribere' apud Varr. R. R. 3, 2, 1. Atque hoc eo facilius potuit fieri, quod ad illam ipsam notionem oratio verbis 'latum suffragium' interpositis iam deducta erat.

Quae cum ita sint a coniecturis hoc loco abstinendum esse existimo, nollemque Ernst. Koepkium in sua orationis Plancianae editione Wunderi auctoritati cedere.

III.

Miror Wunderum offendisse in hisce eiusdem orationis verbis 27, 67: *Sed ut redeam ad Plancium, nunquam ex urbe afuit, nisi sorte, lege, necessitate. Non valuit rebus isdem,*

quibus fortasse non nulli: at valuit assiduitate, valuit observandis amicis, valuit liberalitate; fuit in oculis, petivit: ea est usus ratione vitae, qua minima invidia novi homines plurimi sunt eosdem honores consecuti. Annotavit autem *Comment.* p. 175: 'Garatoni ad hunc locum annotationi locum dedi in Proleg. p. XXXIV sq., ubi hoc quidem vere a me monitum ac demonstratum puto, falsissimam esse hanc librorum scripturam: *petivit; ea est usus ratione* cet., propterea, quod ad ea, quibus Plancium Cicero fecisse docet, ut gratiam populi sibi conciliaret et Laterensi praeponeretur, nullo pacto hoc referri potuit, quod *petiverit*, cum *petitionem* quidem communem ei cum Laterense sciamus fuisse. In promptu est enim videre, ea hic tantum commemorari posse, quae Plancius fecerit, Laterensis facere aut omiserit aut noluerit. Itaque nullus relinquitur dubitandi locus, quin, quod ipsis paene codicibus auctoribus Proleg. l. 1. reponendum dixi, *petivit ea usus ratione* cet. a Cicerone scriptum fuerit.'

Commemorari eo quem supra descripsi loco videmus quibus rebus Plancius Laterensem, aedilitatis competitorem, superaverit, Planciumque Cicero ait petivisse, hoc a Laterense omissum esse non plane ille quidem dicit, sed ex opposito facile potest colligi. Atque hoc ipsum recte se habere negat Wunder. Hic autem non meminit, quae Quintus Cicero ad fratrem de petitione consulatus scripsit, unde quod quidem per se intelligitur satis patet, varia fuisse petendi genera, varia candidatorum studia et labores, populū eos fecisse, a quibus maxime ambitus erat. Et hac in re 'prodest quidem vehementer', ut ait Q. Cic. de pet. cons. 11,43, 'nusquam discedere; sed tamen hic fructus est assiduitatis, non solum esse Romae atque in foro, sed assidue petere, saepe eosdem appellare, non committere, ut quisquam possit dicere: quod eius sit, te consequi posse, si abs te non sit rogatum, sed valde ac diligenter rogatum.' Ita, ut aliud agendo hoc moneam, hic locus, qui multorum coniecturis tentatus est, corrigendus videtur. Klotzius et Orellius postrema verba ita typis describenda curarunt: *quoad eius sit, † consequi possis, si abs te non sit rogatum et valde ac diligenter rogatum*, signo † appposito indicantes locum esse corruptum. Ac sane in verbis hunc in modum scriptis vix umbra rectae sententiae apparet. Equidem *quod*, quae est plurimorum codicum, in his optimi Erfurtensis, scriptura, retinendum esse censeo cum propter illud *rogatum*, tum ob eam causam, quod vocabulo *quoad* e codice Palatino recepto *consequi* nihil habet pro obiecto additum, quod facile ex pronomine relativo elicies, aliud unde assumas nusquam habebis. Cuiusvis autem ex populo suffragium est, quod cum in eius sit potestate, ferre ut libet, aliusque id ratione apte inita consequi potest. Pronomen *te* absorptum sine dubio ea littera, quae verbi *sit* postrema est, ante *consequi* equidem inserui. Pro *consequi possis* iam Gesnerus coniecit scribendum esse *consequi posse* addens tamen 'vel *potuisse* adeo'; ac perfectum requiri Orellio in prima Ciceronis operum editione visum est. Denique pro *et valde* substitui *sed v.* Particula *sed*, quae *set* scribebatur, quoties cum *et* confusa ac commutata sit, dici vix potest. Conf. Hand. Tursell. vol. II, p. 539. Ex insigni autem quodam usu vocabulis *non* — *sed* saepe locus est, cum prius membrum reicitur ac tollitur non illud quidem per se, sed quod solum si ponitur altero graviore non accedente levius est. Liv. XXXVIII 22 extr. 'Hi vero non vulnerabantur, sed transverberatis scutis plerique inter se conserti haerebant.' XXII, 54,9: 'Consule exercituque ad Trasimenum priore anno amisso non vulnus super vulnus, sed multiplex clades, cum duobus consulibus duo consulares exercitus amissi nuntiabantur.' Conf. quae Fabri. de hac re annotavit Liv. XXI, 41. 16.

In Q. Ciceronis autem verbis erratum est ab iis, qui afferri putarunt, quae is qui loquens inducitur comitiis habitis dixisset. Magnae autem negligentiae ac socordiae Cicero accusandus esset, si eodem quo Laterensis modo egisset, neque cives ambisset ac rogasset. Immo Quintus fratri suadet, ne tarde ac lente agendo committat, ut quis dubitare possit, utrum futurum sit, ut rogetur necne, sed hominum fastidiosorum expectationem praevieniat valde ac diligenter rogando.

Plancius igitur, ut oratio se eo iam referat unde deflexit, nihil eorum omiserat, quae ambienti favebant ac suffragabantur. Longe alia fuit ratio Laterensis. Is Roma afuerat, non submisso populo supplicarat, omneque ambitionis studium neglexerat, postremo petiverat ita ut nomen profiteretur antiquitate et nobilitate generis sui fretus. Conf. 5, 13. Quae cum ita essent, erat sane, cur Cicero significanter diceret Plancium petivisse, atque eo ipso Laterensem hoc fecisse non obscure negaret. Inde consequitur, ut et Garatoni opinionem Orellio probatam, qui non de aedilitate, sed de tribunatu, quem Plancius gesserat, cuiusque petitionem Cicero 5,13 a Laterense relictam esse dicit, hic agi putat, falsam et coniecturam Wunderi dicamus reiiciendam esse, quam si ille affirmat 'ipsis paene codicibus auctoribus' propositam esse, id a vero recedit. Scripturae enim discrepantia, quae hoc loco in libris exstat, haec est: duo optimi codices Tegernseensis et Erfurtensis in verbis illis, de quibus potissimum agitur: *fuit in oculis, petivit: ea est usus ratione vitae, qua cet.* ita consentiunt, ut in Teg. *fuit* post *oculis* iteratum sit. Geminatiōni cum hic nullus videatur locus esse, nihil reliquum erit, nisi ut statuamus, eum, qui hunc codicem descripsit, illud *fuit* repetisse, cum, id quod non semel in scribendi aut celeritate aut socordia factum esse constat, quamquam *fuit in oculis* positum erat, tamen *in oculis fuit* verborum ordinem esse putaret. Verbum autem *est*, atque hoc gravissimum est, contra omnium qui collati sunt librorum auctoritatem Wunder inter *ea* et *usus* omisit, eaque re factum est, ut sententiae vim infringeret atque adeo everteret; nam ita interpretatus est locum: 'petivit aedilitatem, postquam ea usus erat ratione vitae, qua cet.' Cicero autem suo more, quod idem supra p. 8 iam animadvertimus, postrema illa: *ea est usus* cet. addidit, ut quae antecedunt generali quadam sententia graviter complecteretur, de qua re saepius disputavit Naegelsbach. in libro quem inscripsit: *Lateinische Stilistik für Deutsche.* Conf. p. 493, 499, 500, ed. II.

IV.

M. Juventius Laterensis in Plancio accusando habuit subscriptorem L. Cassium. Is Plancium neque generis nobilitate neque rebus gestis ostendebat dignum esse, ad quem munus aedilitatis deferretur. Ita enim facit Cicero argumentantem 25,61: 'Profers triumphos T. Didii et C. Marii, et quaeris: Quid simile in Plancio?' Refutat hoc Cicero cum ironia usus subiciat: *Quasi vero isti, quos commemoras, propterea magistratus ceperint, quod triumpharant, et non, quia commissi sunt iis magistratus, in quibus re bene gesta triumpharent.* Haec est optimorum librorum, in his Tegernseensis et Erfurtensis, huius loci non discrepans scriptura, a qua ceteri ita recedunt, ut satis pateat, aut vitiose descriptos aut emendatricem manum expertos esse. Atque in illis verbis ita ut feci scriptis acquieverunt Klotzius et Koepkius. Quod

tamen quo modo recte fieri possit, equidem non perspicio. Nam ut Ferd. Handii verbis *Tursell.* vol. II. p. 497 utar: 'ubi oppositio fit recta, et ubi negatio non ad totam sententiam, hoc est, non ad iudicii formam pertinet, sed ad unam aliquam notionem, ideoque singularis vis imponitur negationi, Latini dicunt *et non.*' Non potest autem alia hic esse oppositio, nisi verborum 'magistratus ceperint.' Conf., ut unum afferam locum simillimum, Cic. Tusc. Disp. I, 7,13: 'quasi ego dicam eos mortuos qui nati non sunt, et non eos qui mortui sunt.' Sed illud ipsum quod ratio postulat per sententiam fieri non licet. Quid enim sibi vult hoc: Homines magistratus ceperunt, quod commissi sunt iis magistratus. Itaque cum haec procedere non viderentur, iam pridem ad emendandi pericula descensum est. Neminem enim iam esse puto quin videat, ex hoc fonte profectam esse scripturam non nullorum codicum inferioris notae, in quibus pro verbis 'magistratus ceperint' exstat 'magis laude fuerint digni;' et F. Ursinus haec rettulit: 'Totus hic locus in Mso. legitur: *propterea magistratibus fuerint digni, quod triumpharunt, et non quia commissi sunt iis magistratus, in iis re bene gesta triumpharint.*' Quae cum tantopere ab iis quae in ceteris libris manu scriptis certum est exstare discrepent, veri simillimum est, quod iam Garatonius vidit, Ursinum codicis auctoritatem et fidem non testatum esse, sed aut suam aut libro interpolato ab alio quodam insertam proposuisse coniecturam. Huc accedit, quod illud ipsum *in iis* tam supervacaneum ac frigidum est, vix ut putem quemquam, qui animum paulo acrius attenderit, Ciceronianum esse arbitrari. Hoc Garatonium existimo sensisse, cum locum ita emendandum esse censeret ut scriberetur: *quasi vero isti, quos commemoras, propterea magistratus ceperint, quod triumpharunt, et non, quia commissi sunt iis magistratus, re bene gesta triumpharint.* 'Haec mea', inquit, 'vetus est emendatio; sed cum proposuerim duas, hanc me nunc alteri praeferre dico, in qua delebam *quia* ut servarem *in quibus.* Verum *quia* respondet superiori *quod* eaque re locum tuetur suum; at *in quibus* tum per se inutile, tum, nisi *quia* expellatur, absurdum. Ursiniani ergo codicis interpolator substituit *in iis.*' Bene fecit, quod a vocabulo *quia* eiciendo destitit. Sed ne altera quidem coniectura, quamquam Orellio Wundero Baitero probata est, re accuratius inspecta et perpensa mihi videtur ulla veri similitudine commendari. Atque ita ut statuam, tribus potissimum commoveor causis. Primum enim iusta causa non apparet, qua quis adductus addiderit verba *in quibus.* Nam quae ad hanc rem explicandam Wunder excogitavit, ea sunt eius modi, ut eum, a quo illa verba profecta esse arbitratur, sermonis ususque Latini prorsus ignarum et rudem fuisse dicendum sit. 'Puto autem', inquit Wunder, 'verba *in quibus* addita ab interprete esse, qui antecedentia *et non quia* cet. unum efficere membrum putasset. Quo facto sequentia *re bene gesta* cet. nullo cum antecedentibus vinculo coniuncta debebant videri.' Tum contra omnes codices praeter Ursini librum dubiae fidei *triumpharent* commutatum est cum *triumpharint.* Denique verba illa: 'quia commissi sunt iis magistratus' tam nude posita mihi quidem nihil ad sententiam inlustrandam ac definiendam videntur afferre. Neque enim omnibus, quibus magistratus committebantur, facultas data est re bene gesta triumphandi, neque cuiusvis magistratus fuit rem bene aut male gerere, quod duces aut imperatores facere dicuntur. Itaque Garatonius sua coniectura proposita eo deductus est, ut sibi *re publica bene gesta* potius placere diceret, quod quidem illum, ut Wundero visum est, non ob eam causam fecisse existimaverim, quod rem publicam bene gerere frequentissimum

ac vulgare loquendi genus esset. Garatonius autem ea ipsa re in aliam incidit difficultatem. *Rem enim publicam gerere* cum omnes dicantur, qui bonum publicum tueri et augere studeant, ita ut Caesar b. c. I, 7,6 milites suos hortetur, 'cujus imperatoris ductu novem annis rem publicam felicissime gesserint, plurimaque proelia secunda fecerint, ut eius existimationem dignitatemque ab inimicis defendant', fieri non potuit, ut Cicero, quicumque rei publicae officia praestitissent, eos diceret triumphum adeptos esse.

Quae cum ita sint cum nihil illis coniecturarum periculis effectum esse videas, alia videtur via ineunda esse. Ac mihi quidem persuasum est, cum nullam probabilem appareat causam adesse, qua quis commotus sit, ut Ciceronis verbis quod deesse videretur adderet, non eiciendo, sed supplendo quod intercidit medendum esse difficultatibus. In integrum igitur existimo locum restitui, hoc modo si scribitur: *Quasi vero isti, quos commemoras, propterea magistratus ceperint, quod triumpharant, et non triumpharint, quia commissi sunt iis magistratus, in quibus re bene gesta triumpharent.* Commendari autem meam coniecturam arbitror et quod ne una quidem littera mutata ab optimis libris recedo, et quod iam nihil est, cur aut in verbis aut in sententia haereas. Nam T. Didius et C. Marius, inquit Cicero, propterea magistratus non ceperunt, quod triumpharant, sed triumphos adepti sunt, quia commissi sunt iis eius modi magistratus, qui re bene gesta triumphandi facultatem dabant. Iam mihi vide quantum ponderis in sententia relativa insit, et quam carere non possimus vocabulis *in quibus*. Causa autem ut verbum *triumpharint* exciderit quin fuerit, quod iuxta paene positum est *triumpharant*, dubitari non potest.

V.

Possum plura afferre in quibus a Wundero dissentiendum esse videatur, sed cum non id agam, ut de omnibus quae ille scripsit et proposuit iudicium feram, quaedam placet attingere quae hic alique praeterierunt ac reliquerunt.

Laterensis cum Plancium accusaret, patrem etiam filio dixerat obesse debere, quod ille asperius locutus esset aliquid aliquando. Ad haec Cicero ita respondit, ut et plura libere loquentium exempla proferret, neque umquam fuisse diceret Plancii vocem contumeliae potius quam doloris, neque questum esse, nisi cum a sociis et a se iniuriam propulsaret. *Communis ille sensus in aliis fortasse latuit, hic, quod cum ceteris animo sentiebat, id magis quam ceteri et vultu promptum habuit et lingua. Quamquam, iudices, — agnosco enim ex me — per multa in Plancium, quae ab eo numquam dicta sunt, conferuntur. Ego quia dico aliquid aliquando, non studio adductus, sed aut contentione dicendi aut lacessitus, et quia ut fit in multis exit aliquando aliquid, si non facetum, at tamen fortasse non rusticum, quod quisque dixit, me id dixisse dicunt. Ego autem si quid est quod mihi scitum esse videatur et homine ingenuo dignum atque docto, non asperror, stomachor vero, cum aliorum non me digna in me conferuntur. Nam quod primus scivit legem de publicanis tum, cum vir amplissimus consul id illi ordini per populum dedit, quod per senatum si licuisset dedisset, si in eo crimen est, quia suffragium tulit, quis non tulit publicanus?*

Hunc in modum haec 14,34 in optimis codicibus scripta sunt, a quibus deteriores in iis quae graviora sunt nihil recedunt. Quotiescunque autem haec legi, offendebar verbis quae in medio posita sunt: 'Ego quia dico aliquid aliquando — conferuntur.' Atque haesi his de causis. Parum apte mihi duae sententiae, quae deinceps se excipiunt, videntur incipere ab *Ego* et *Ego autem*. Neque illa *aliquid aliquando* paucis interiectis, quamquam non magna vis et pondus inest, repetita Ciceronis arti satis accommodata esse facile quis dixerit. Tum quid sibi illa: *quia ut fit in multis exit aliquando aliquid* vellent difficile ad intelligendum esse existimabam. Quid enim? Verba *in multis* si ad verbum *exit*, ut solet, referuntur, cum vocabulo *aliquando* nonne pugnant ita ut alterutrum abesse velis? Aliquando enim aliquid fieri non dici in re, quae saepius repetitur, et ex vi vocabuli *aliquando*, quod, ut Handii verbis *Tursell.* vol. I. p. 246 utar, 'adhibetur ad nominandam incertam universi temporis partem', et ex usu Ciceronis, qui non raro aliquis aliquando composuit, cognosci licet. Conf. de Orat. I, 21,95: 'Ego enim, quantum auguror coniectura quantaque ingenia in nostris hominibus esse video, non despero fore aliquem aliquando cet.'; de R. P. I, 9,14: 'sumus enim multi, ut constituimus, parati, si tuo commodo fieri potest, abuti tecum hoc otio. Libente me vero, ut aliquid aliquando de doctrinae studiis admoneamur.' Levius est, sed haud scio an prorsus negligendum non sit, Ciceronem, si ab illis verbis: *exit aliquando aliquid* discesseris, omnibus reliquis locis quantum scio pronomen *aliquid* collocare ante vocabulum *aliquando*. Conf. praeter eos locos, quos iam attuli, ex hac ipsa oratione 13,33; pro Sest. 6,14; pro Mil. 25,67; Orat. 42,144. Neque quod *exire solet*, id recte *in multis exire* puto dici. Inde factum esse existimo, ut praeter Ambrosianum librum palimpsestum, de quo infra dicam, in ceteris distingueretur: *ut fit in multis, exit*, id quod in prima editione adnotavit Orellius. Atque hunc in modum distinxit in altera edit. Orell. Baiter. Hoc autem neque per loquendi consuetudinem neque per sententiam fieri videtur licere. Solent enim verba *ut fit* aut *ita ut fit* ita nude nullo alio vocabulo adiecto interponi. Conf. pro Planc. 7,17: 'Equidem si quando, ut fit, iactor in turba'; pro Mil. 9,24: 'subito reliquit annum suum, seseque in proximum annum transtulit, non, ut fit, religione aliqua'; ibid. 10,28: 'paulisper, dum se uxor, ut fit, comparat, commoratus est'; Orat. 53,177: 'praesertim cum, ut fit, fortuito saepe aliquid concludere apteque dicerent'; in Verr. 2,23,56: 'queri cum multis, ut fit, incipiunt sese HS LXXX nummum frustra dedisse'. Hoc autem loco plurimi codices habent *ita ut fit*. Terent. Phorm. IV, 3,6 est: *ut fit*, Andr. I, 1,53, Eun. IV, 2,2 *ita ut fit*; idem per coniecturam male intulit Bentl. Adolph. I, 1,30. Saepissime *ut fit* apud Livium invenitur, cuius novem locos exscripsit Drakenb. ad IV, 52,4. Atque si Livius scripsit IV, 52,4: 'ut plerumque fit', et apud Curtium multis locis inveniri *ut fere fit* Mützellius demonstravit ad III, 6,6, inde effici non potest, recte scribi *ut fit in multis*. Si quis autem putaverit *in multis* esse *in multis hominibus*, neque rationem, de qua dictum est, mutari nec sententiam adjuvari patet. Neque enim multi facetiis excellunt, neque Cicero hoc multis concesserit. At sunt fortasse, qui *in multis* de hominibus accipiendum esse putent, sed cum verbo *exit* coniugendum, praesertim cum hoc modo consecuturi simus, ne quid in coniunctis verbis *in multis aliquando* redundet. Illi tamen velim prius exemplis comprobent, Ciceronem aut alium quem scriptorem probum dixisse: 'in me exit aliquid non rusticum.' Cicero si in hac sententia enuntianda uti voluisset verbo *exeundi* quo modo

locuturus fuerit, cognosci potest ex hoc loco Brut. 76,265: 'quam nihil non consideratum exhibat ex ore.'

In iis quae sequuntur non desunt alia, quibus offendare. Quamquam negandum non est, Ciceronem multum sibi tribuisse ac magnopere sibi placuisse, tamen haud scio an recte dubitari possit, num quod quisque non infacetum dixerit, se id dixisse ferri apud iudices praedicaverit. Prorsus autem illum quid deceret quidque non deceret oblitum esse, et eorum qui audiebant risum movisse censendum esset, si aperte dicere veritus non esset, se libenter ferre aliorum scite dicta ad se auctorem referri, stomachari autem cum aliorum quae sua persona non digna essent in se conferrentur. Denique animum attendas, quae iam proxima sunt: 'Nam quod primus scivit legem de publicanis cet.' cum antecedentibus quam non cohaereant, quam apte deinceps iisdem excipiantur superiora illa: 'Quamquam, iudices, — per multa in Plancium, quae ab eo nunquam dicta sunt, conferuntur.'

Omnia quae de hoc loco disputavi in unum cum colligo, non possum quin existimem, illa: 'Ego quia — conferuntur' non a Cicerone profecta esse, sed addita ab eo, qui quae interposita sunt: *agnosco enim ex me*, ut accuratius explicarentur et inlustrarentur opus esse putaverit.

Ne quid tamen dissimulare videar quod alicuius momenti sit, satis antiquo tempore verba illa veris Ciceronis inserta sunt. Nam ad illa: 'Ego quia dico aliquid aliquando cet.' in palimpsesto Ambrosiano, cuius veterem scripturam ad IV aut V saeculum pertinere arbitratur A. Maius *Praef. alter. nov. edit.* p. 39, 42, ascripta sunt haec: 'Et oratorie totum hoc explicat, invidiosius quasi de nimia libertate Cn. Plancii senioris quosdam loqui, quam veritas ipsa patiatur: ad quod optinendum contra insimulationes inimicorum subnectit exemplum Cicero ipse de se, quem non ignoramus multum facetiis et urbanioribus dictis indulsisse, id quod locis pluribus in Verrinis orationibus potuimus agnoscere. Hoc ergo ait: quoniam soleo quaedam non ingrata festivitate secundum sales urbanitatis dicere, idcirco plerique huius modi omne quod dicitur, etiam si ab alio dictum sit, in me conferunt. Quare nihil mirum est, si quaedam falso etiam de Plancii libertate iactentur.'

Sed huius ipsius scholii ope haud scio an perveniri possit aliquo modo ad fontem, unde ea quae Ciceronianis interposita sunt manaverint. Cicero ingenio, quo valebat, indulgens multa modo scite faceteque modo acerbe ac salse dicebat. Atque hoc eius studium ac libido quamquam tanta fuit, ut iam Quint. I. O. VI, 3,2 modum ei in hac re defuisse, XII, 10,12 illum in salibus aliquando frigidum fuisse diceret, tamen eius dieteria aequalibus fere non displicuisse satis constat. Nam illo ipso tempore iam fuerunt qui ea colligerent, quod C. Trebonium fecisse efficitur ex his quae Cicero ad eum scripsit Epist. ad Fam. XV, 21,2: 'liber iste, quem mihi misisti, quantam habet declarationem amoris tui, primum, quod tibi facetum videtur, quidquid ego dixi, quod alii fortasse non item; deinde, quod illa, sive faceta sunt sive sic, fiunt narrante te venustissima.' Alia exstabant tria volumina, quae Tironis, liberti Ciceronis, ferebantur esse. Conf. Quint. I. O. VI, 3,5: 'Utinamque libertus eius Tiro, aut alius quisquis fuit, qui tres hac de re libros edidit, parcius dictorum numero indulsissent, et plus iudicii in eligendis, quam in congerendis studii adhibuissent cet.'

Quae cum ita essent, mirum non est, ad Ciceronem auctorem multa sive errore sive

malevolentia esse relata, quae ab eo dicta non erant. Ita enim queritur ipse Epist. ad Fam. VII, 32,1, quas litteras ad Voluminium scripsit: 'Quibus in litteris omnia mihi periucunda fuerunt praeter illud, quod parum diligenter possessio salinarum mearum a te procuratore defenditur. Ais enim, ut ego discesserim, omnia omnium dicta, in his Sestiana, in me conferri.' In eandemque sententiam scripta sunt Epist. ad Fam. IX, 16,4 ad Papirium Pactum: 'Sed tamen ipse Caesar habet peracere iudicium; et ut Servius, frater tuus, quem litteratissimum fuisse iudico, facile diceret: hic versus Plauti non est, hic est, quod tritas aures haberet notandis generibus poetarum et consuetudine legendi, sic audio Caesarem, cum volumina iam confecerit ἀποφθεγμάτων, si quod afferatur ad eum pro meo, quod meum non sit, reicere solere; quod eo nunc magis facit, quia vivunt mecum fere quotidie illius familiares. Incidunt autem in sermone vario multa, quae fortasse illis cum dixi nec inlitterata nec insulsa esse videantur. Haec ad illum cum reliquis actis perferuntur; ita enim ipse mandavit. Sic fit, ut si quid praeterea de me audiat non audiendum putet.' Illud igitur quod ipsum Ciceronem saepius conquestum esse videmus, cum facile sciretur, causa fuit, ut quod Cicero verbis interpositis: 'agnosco enim ex me' significasse satis habuerat amplius et planius quis putaret declarandum esse, idque suo modo executus est. Et haec quidem hactenus.

Scholii codicis Ambrosiani cum supra mentionem fecerim, non alienum videtur mendum tollere, quo affecta ac depravata esse existimo illa verba: 'quoniam soleo quaedam non ingrata festivitate secundum sales urbanitatis dicere.' Iam verba *sales urbanitatis* mihi habere videntur quo offendare, quamquam fortasse est, qui putet posse defendi hoc Phaedri versu V, 5,8: *Quos inter scurra notus urbano sale*. Sed *quaedam non ingrata festivitate secundum sales urbanitatis dicere* quid sit me nescire non dubito profiteri. Nisi me fallit scribendum est: *secundum leges urbanitatis dicere* i. e. dicere quae urbanitas iubet ac praecipit.

VI.

Iis qui honores Romae petebant, ut populi gratia florent ac comitiis suffragia ferrent multis opus fuit adiumentis. Ac plurimum quidem ea valebat petitio quae in populari ratione versabatur; faciebat enim populus, ut est apud Cic. pro Planc. 4,9, eos, a quibus maxime ambiebatur volebatque se rogari sibi supplicari. Conf. ibid. 5,12. Neque hoc Cicero improbavit et secutus est ipse. Ita enim alloquitur Laterensem 18,44: '*Noli enim*', inquit, '*putare, Laterensis, legibus istis, quas senatus de ambitu sanciri voluerit, id esse actum, ut suffragatio, ut observantia, ut gratia tolleretur: semper fuerunt viri boni, qui apud tribules suos gratiosi esse vellent. Neque vero tam durus in plebem noster ordo fuit, ut eam coli nostra modica liberalitate noluerit, neque hoc liberis nostris interdicendum est, ne observent tribules suos, ne diligant, ne conficere necessariis suis suam tribum possint, ne par ab iis munus in sua petitione respectent; haec enim plena sunt officii, plena observantiae, plena etiam antiquitatis. Isto in genere et fuimus ipsi, cum ambitionis nostrae tempora postulabant, et clarissimos viros esse vidimus, et hodie esse volumus quam plurimos gratiosos.*'

Sed prius quam id persequar, cuius causa haec exponere institui, quod in postremis

verbis Wundero suspectum fuit, ut locum additamento corruptum esse censeret, videtur removendum esse. Scribit enim *Comment.* p. 136 hunc in modum: 'Vehementer miror, quod his verbis nemo editorum offensus est. Quo modo enim recte locutus Cicero existimari potest dicens: *Isto in genere et fuimus ipsi — et hodie esse videmus quam plurimos gratiosos.* Nemo non intelligit, verba *isto in genere* ita esse collocata, ut non tantum ad primum verbum *fuimus*, sed etiam necessario ad sequentia *esse vidimus et hodie esse videmus* referenda sint. Iam ipsa illa verba *Isto in genere* apertum est non alio posse sensu dicta esse, quam *isto in genere hominum, qui gratiosi apud tribules suos esse voluerunt.* Haec autem si subintelligis, id quod fieri oportet, ad extremum membrum, *et hodie esse videmus quam plurimos gratiosos*, ineptissime patet additum adiectivum *gratiosos* esse. Neque vero aut latinitas aut loci sententia admittit, ut verba *isto in genere* cum adiectivo *gratiosos* arcte coniungantur, hoc sensu: *istius modi gratiosos*. Minime enim de vario gratiosorum hominum genere exponit, sed simpliciter semper fuisse viros bonos docere vult, qui apud tribules suos gratiosi esse voluerint. Quae cum ita sint, non dubito equidem, quin *gratiosos* ab interprete explicationis causa super *quam plurimos* scriptum et a librariis in textum receptum sit.

Et his quidem expositis Wunder persuasit Koepkio ita ut is vocabulum illud *gratiosos* iam eiecerit ex ordine verborum Ciceronis. Sed non leve est, quod non modo a libris manuscriptis huic rei nihil praesidii paratum est, qui omnes illud adiectivum tuentur, sed etiam prorsus improbable est, quod Wunder posuit, *gratiosos* ab interprete explicationis causa super *quam plurimos* scriptum et a librariis in textum receptum esse. Quid enim causae fuisse dices, cur quis verba *quam plurimos* explicatione egere putaverit? Iusta autem Ciceronis verbis interpretatione adhibita omnia bene recteque se habere facile intelliges. Paulo supra Cicero 'a te (Laterense)', inquit, 'doceo consilium non servatum senatus. Etenim quis te tum audiret illorum aut quid diceret? Sequestremne Plancium? Respuerent aures, nemo agnosceret, repudiarent. An gratiosum?' Eodem infra 19 init. Cicero redit cum dicat: 'Ego Plancium, Laterensis, et ipsum gratiosum esse dico et habuisse in petitione multos cupidos sui gratiosos.' Cicero igitur ut Plancium sodalicioium tribuario crimine liberet, *gratiosum* hunc fuisse dicit, eaque ratione plurimarum tribuum suffragia tulisse atque in ea re et ipsius Ciceronis et clarissimorum virorum exempla secutum esse. A vero autem Wunder maxime aberravit eo, quod *isto in genere et fuimus ipsi* ita explicavit, ut sententiam esse diceret: 'Isto in genere hominum qui gratiosi apud tribules suos esse voluerunt.' Immo intelligendi sunt non tam ii qui gratiosi esse voluerunt quam qui fuerunt, id quod patet et ex iis, quae supra demonstrata sunt, et ex verbis: *clarissimos viros esse vidimus.* Clarissimi enim illi viri sine dubio gratia floruerunt, neque ut gratiosi essent quaesiverunt. In nomine *gratiosus* igitur non sine causa saepius repetito cum maximam vim inesse viderimus, graviter eodem hoc vocabulo sententiam Cicero concludi voluit. Wunder autem ne ipse eam, quae ei in illis verbis inesse visa est, sententiam reicere cogeretur, in alia re recessit a libris; scriptum enim est in plurimis et optimis: *et hodie esse volumus* cet. In uno est *voluimus* pro *volumus*, adaptatum perfecto *vidimus*, *nolumus* quod in uno exstat negligentia et errore librarii ortum esse patet. Atqui *volumus* cum ei verborum *isto in genere* explicationi, quam Wunder dedit, non conveniat, libris invitis *videmus* scripsit, neque tamen quidquam attulit cur hoc faciendum esse putaverit. Orellius tamen in edit. a. 1826 iam eodem modo scripsit.

Ciceronem igitur, ut se oratio ad id quod propositum est referat, censuisse populum colendum et observandum esse videmus. Hoc si tenemus cum animoque attento legimus haec 20,50: *'Quo quidem tempore, Laterensis, si id facere voluisses aut si gravitatis esse putasses tuae, quod multi nobiles saepe fecerunt, ut, cum minus valuissent suffragiis quam putassent, postea prolatis comitiis prosternerent se et populo Romano fracto animo atque humili supplicarent, non dubito quin omnis ad te conversura fuerit multitudo. Numquam enim fere nobilitas, integra praesertim atque innocens, a populo Romano supplex repudiata est. Sed si tibi gravitas tua et magnitudo animi pluris fuit, sicuti esse debuit, quam aedilitas, noli, cum habeas id, quod malueris, desiderare id, quod minoris putaris;'* haec, inquam, si legimus, fieri non potest quin haereamus. Quid enim? potuitne Cicero, quod Laterensis populo non supplicaverit ac nihil de gravitate sua remisit, in ea re dicere *ita sicuti debuerit* illum fecisse, ac significare, quotquot aliam tenuissent rationem recte et officio convenienter non egisse? Debuit Laterensis aut non ambire aedilitatem, aut si aliter eam consequi non potuit de gravitate sua tantum quantum necesse fuit decedere, eandemque sententiam Cicero aperte ac plane dixit 4,11: *'nostrum est autem, nostrum, qui in hac tempestate populi iactemur et fluctibus, ferre modice populi voluntates, allicere alienas, retinere partas, placare turbatas; honores si magni non putemus, non servire populo, sin eos expetamus, non defetigari supplicando.'* Et recte quidem ita statuit, stultum enim est, aliquid petere, atque id quod eo fert quo contendas omittere ac negligere. Iam satis puto patere Ciceronem illud *sicuti esse debuit* apud iudices dicere non potuisse. Quid is a quo illa profecta sunt senserit, nemini potest dubium esse, neque ego severitatem eius reprehendo, qui gravitatem et magnitudinem animi inanibus honoribus posthabendam esse non iudicavit; num ipse iam Ciceronianis sua immiscuerit, an haec cum initio in margine ascripta sint postea librarii socordia et errore inlata sint ambigi potest.

VII.

Quae Horatius scripsit Epist. I, 19, 23—32:

Parios ego primus iambos

Ostendi Latio, numeros animosque secutus

Archilochi, non res et agentia verba Lycamben.

Ac ne me foliis ideo brevioribus ornes,

Quod timui mutare modos et carminis artem:

Temperat Archilochi musam pede mascula Sappho,

Temperat Alcaeus, sed rebus et ordine dispar

Nec socerum quaerit, quem versibus oblinat atris

Nec sponsae laqueum famoso carmine neclit.

ea Bentleins interpretari aggressurus *'difficilis'*, inquit, *'locus, unde expedire se nemo hactenus potuit interpretum; ac nescio an ipse mihi meliores successus ausim polliceri'*; erroresque, qui a superioribus commisi erant interpretibus postquam redarguit, ipse hanc totius loci sententiam esse statuit: *'Ne mireris, inquit Horatius, aut queraris, quod numeros Archilochi non mutaverim:*

scias et Sapphonem et Alcaeam (quos poetas!) *musam suam illius pede temperare*; scias utrumque Archilocheos numeros suis Lyricis immiscere. Quos igitur illi tantopere probabant, egone ut fastidirem et repudiarem? Iustam iam habes defensionem et causam vincibilem atque optimam. Haec neque per se probabiliter mihi videntur non disputata esse, et eo confirmari, quod et Archilochus multorum auctor fuit metrorum, et Sappho atque Alcaeus Archilochiis versibus usi sunt. Hoc cum a Bentleio demonstratum est, tum a Welkero in libro quem inscripsit: *Kleine Schriften zur Griechischen Litteraturgeschichte* vol. I p. 139 sqq.; illud patet et ex eius carminum reliquiis et e verbis Victor. IV p. 2588 Putsch.: 'Fecundus (Archilochus) varietate carminum et singularis artificii in excogitandis novis metris. — Rursus haec eadem connectens per cola et commata inter se innumerabiles edidit species.' A Bentleii tamen ratione recessit Fr. Ritter, qui v. 28 et 29 haec adnotavit: 'Causam cur novos numeros in carminibus suis sive odis non attulerit, hanc refert: versus *carmini* aptos post Archilochum iam dederunt Sappho et Alcaeus; itaque novae mutationis iusta causa non erat.' Versum autem 28 ita in sermonem Germanicum transtulit:

Mischt Archilochus Lied ja Sappho männlichen Fusses

et haec explicandi causa addidit: 'Ipsum *temperat* est *miscet* sive mutat adhibita temperatura, ducto loquendi genere a temperandis sive miscendis poculis.' Plura sunt cur in hanc sententiam discedendum non esse censeam. Ac primum quidem Ritter, id quod olim a Welkero itidem factum postea dimissum esse cognosces ex eius libro: *Kleine Schriften* cet. vol. II p. 115 sqq. verba *pede mascula* coniungit atque haec dicta esse censet, quod sit, ut ait Stat. Silv. V, 3, 154 sq.:

saltus ingressa viriles

Non formidata temeraria Leucade Sappho;

quam interpretationem olim iam Jos. Scaliger Barthius alii secuti sunt. Nisi volumus Horatium ea qua erat magna iudicii elegantia destitutum esse, non potuisse rei prorsus alienae hoc loco mentionem inici existimandum est. Atque hoc ipsum si tenuisset Buttmannus, amplexus non esset Baxteri sententiam, qui '*mascula διλόγως* ob poeticum ingenium et amorem puellarum' dictum esse putat, quam tamen iniuriam Sappho inlatam homo probus non praetermisit sarcire moriturus. Conf. eius *Mytholog.* vol. I p. 322 et quae praefatus est vol. II. Tum non recte opinatum esse puto Ritterum *temperare* idem valere hoc loco ac *mutare*. Temperantur acutiora, fortiora, ea quae aliquo modo sunt nimia, quaeque iusto modo non sunt instituta, sed cum temperantur apte dici non possunt mutari. Recte autem mihi quae versibus includuntur dici videntur temperari. Denique si Horatius Sappho aut Alcaeam Archilochi musam i. e. carmina temperasse dixisset non addita re, qua facta esset temperatio, vereor ut hoc posset 'de numeris in usum carminis apte compositis' intelligi, cum mihi quidem persuasum sit, eum qui alterius carmina temperet non versusum aut metrorum genus mutare, sed res spectare, alteriusque vim atque acerbiteriam aut si quid nimium insit id censere leniendum ac mitigandum esse. Maxime autem Ritter ad sententiam propositam eo deductus est, quod putabat Horatium v. 26—33 'missis epodis iam ad *carmina* sua pervenisse'. Ac Ritter quidem saepius vocabulum carminis ad solum genus melicum apud Horatium transferendum esse censuit. Horatius autem, quamquam Epist. II, 2, 59: *Carmine tu gaudes, hic delectatur iambis* secernit carmen ab iambis i. e. epodis, idem tamen carminis vocabulum non dubitavit ad iambos transferre Epod. XIV, 6 sq.:

*Deus, deus nam me velat
Inceptos, olim promissum carmen, iambos
Ad umbilicum adducere.*

Nihil igitur impedit quominus idem eo de quo disputamus loco factum esse dicamus, ita ut Horatius, postquam in iambis se numeros animosque secutum esse Archilochi professus est, si qui ob hoc ipsum ad servum pecus illum iam recessisse putent, se gravi Sapphus et Alcaei exemplo tueatur. Alcaei autem nomine commemorato commode v. 32 eam sententiam quam v. 23 inchoavit potest absolvere. Quae cum ita sint, quod Bentleyi acumine ac doctrina effectum est, id tenendum esse censeo verbaque v. 29 ita ut ille fecit coniungenda: *temperat Archilochi pede musam mascula Sappho*, neque probo quod contra dixit Ritter, in his obscure dictum esse *Archilochi pede* ambigue *mascula Sappho*. Nam quibus idoneis refutari possint argumentis Bentleyus aliique, qui pedem hic non aliter intelligendum esse censent atque Carm. IV, 6,35: *Lesbium servate pedem* et A. P. 80: *Hunc socci cepere pedem grandesque cothurni* non video, neque ambiguitatem in vocabulo *mascula* admissam esse supra demonstratum esse puto.

Quae de illo Horatii loco disserui quamquam probabili ratione mihi carere non videntur, tamen horum potissimum causa haec disputatio suscepta non est. A recta enim sententia, quae verbis illis *sed rebus et ordine dispar* subest, mihi adhuc aberratum esse videtur. Ac cum de *rebus* interpretes fere consentiant, easque materiam aut argumentum carminis intelligant, magna est dissensio de vi ac significatione, quae vocabulo *ordine* continetur. Aero annotavit: 'Quia tantum pedes tulerunt non materiam.' Bentleyus ita iudicat: 'Quid autem, rogo vos, per *ordinem* hic denotatur? Ne per somnium quidem hoc viderunt commentatores. Adscivit, inquit, Alcaeus metra quaedam Archilochi, sed *ordine* variavit, sed aliis, ac ille fecerat, metris aptavit ea et connexuit; ut Dactylicum illud *Arboribusque comae* cum Hexametro iunxit Alcaeus, *Diffugere nives, redeunt iam gramina campis, Arboribusque comae*. At eundem Iambo comitem dedit Archilochus: *Ἐντε πρὸς ἄεθλα δῆμος ῥῥοῖζετο, Ἐν δὲ Βαρυσιᾶδης*. et *Ἐρέω ἔν' ὑμῖν αἶνον, ὦ Κηρονκίδη, Ἀχρυμένη σκντάλη*. Hoc, opinor, illud est, quod Alcaeam *ordine disparem* Archilochi facit, etiam cum numeros eius mutuos sumeret.' Doeringius *ordinem* esse putat 'pedum invicem se excipientium.' Welker l. d. Vol. I p. 140 Horatii locum ita explicat: 'Sappho und Alcaeus also mischten in ihre Lieder (indem *pede* in noch weiterem Sinne collectiv genommen wird) Verse des Archilochus von verschiedenem Rhythmus und verschiedener Länge, die dieser in seinen Epoden, und warum nicht auch sonst? gebraucht hatte, ohne dass sie darum den in seinen Poesieen vorherrschenden iambischen Geist oder die Folge und die Verbindung der verschiedenen (dactylischen, choriambischen, iambischen, asynartetischen) Verse untereinander nachahmten und beibehielten.' Contra haec Düntzer in libro, quem inscripsit: *Kritik und Erklärung der horazischen Gedichte* P. III p. 525 dicit: '*Ordo* v. 29 kann seiner Verbindung wegen hier nicht auf die Folge der Verse gehn, sondern nur auf die gesammte Art, den Character der Poesie;' eamque sententiam amplexus est G. T. A. Krüger, qui in sua Horatii editione illud *ordine* iam explicat: 'in der ganzen Art und dem Character seiner Poesie.' Uterque attulit Horat. Epist. I, 1,99: 'Aestuat et vitae

disconvenit ordine toto,' et Plaut. Trin. II, 3,80: 'Mearum me rerum novisse aequum est ordinem.' Doederlinius hunc in modum interpretatus est:

Doch verschieden in Stoff und Behandlung

Trachtet er nicht einen Schwäher mit giftigen Versen zu treffen.

Ritter denique ita sentit: 'Alcaeus *ordine*, h. e. ordine numerorum, dissimilis fuit, quod numeros quos praeiverat Archilochus, dico iambos in trimetris, dactylos in elegis versibusque epodicis, trochaeos in tetrametris ab Archilocho usurpatos, nova arte disposuit et iunxit in strophā a se reperta.'

Haec cum multum inter se discrepare videas, tamen ex omnibus quas protuli sententiis nulla est quin magna impedita sit difficultate. Mirum enim est uni Alcaeo id tribui quod non minus pertinet ad Sappho, quae eodem nomine atque Alcaeus dispar fuit ab Archilocho; mirum, quod rebus quatenus Alcaeus dispar fuerit Horatium v. 30 et 31 persecutum esse putant, dispar autem ordo qui fuerit persecutum non esse confitendum est; mirum denique quod Horatium volunt dixisse Alcaeam carmina sua Archilochi versibus temperasse ita ut ordine tamen dispar fuerit. Nam hac ipsa re apparet excusationem, quam Horatius ab Alcaei exemplo petiturus est, tolli. Hic enim si quid in versuum ordine novavit, Horatius autem suam causam non ita potest tueri, ut a se in eadem re mutationem itidem factam esse probet, utriusque rationem dissimilem esse negari non potest. Huc accedit, ut Horatius parum apte, ne dicam dure, vocabulum *ordinis* ita nude positum de *versuum ordine* voluisset intelligi; nemo enim, cum illud *rebus* antecedit, facile dixerit, quae vis *ordine* contineatur satis definiiri vocabulo *pede* superioris versus. Hinc factum esse existimo, ut, cum plurimi interpretes ordinem ad versus metrumque rettulerint, alii de toto carminis genere, quam nunc fere indolem vocant, intelligerent. Ordo autem cum sit, ut ait Cicero de Off. I 40: 'compositio rerum aptis et accommodatis locis' sive ut Quintilianus J. O. VII, 1,1: 'recta quaedam collocatio prioribus sequentia annectens', non potest eius vis tam late patere, quam illi volunt; neque recte hoc effici ex Horatii loco, qui est Epist. I, 1,99, perspicere licet e Colum. XII 2: 'Nihil est pulcrius in omni ratione vitae dispositione atque ordine', unde vocabulo *dispositione* addito satis patet, ordinem vitae plus esse quam genus vitae. Neque illud momentum aliquod non habet, quod nihil additum est, quo illud *ordine* definiatur, quoque referatur, id quod in duobus Horatii et Plauti locis, quos putant esse simillimos, genitivis *vitalae* et *mearum rerum* factum esse videmus. Quae cum ita sint cum Horatius tantum dicat Alcaeam rebus et ordine disparem fuisse, nisi *suis rebus* et *suo ordine* censendum est disparem illum non fuisse. Itaque primum Archilochi et Alcaei res et ordinem fuisse disparem probandum est, tum demonstrandum eam ipsam sententiam Horatii loco esse quam maxime aptam.

Fuerunt res Archilochi satis angustae. Conf. Pind. Pyth. II 54 sq.:

Εἶδον γὰρ ἕκασ ἐὼν ταπόλλ' ἐν ἀμαχανίᾳ
 ψογερόν Ἀρχιλοχὸν βαρυλόγοις ἔχθεσιν
 παινόμενον.

Aelian. V. H. X, 13: *Ἀλιᾶται Κριτίας Ἀρχιλοχόν, ὅτι κάκιστα ἑαυτὸν εἶπεν. Εἰ γὰρ μὴ, φασιν, ἐκεῖνος τοιαύτην δόξαν ὑπὲρ ἑαυτοῦ εἰς τοὺς Ἕλληνας ἐξήνεγκεν, οὐκ ἂν*

ἐπιθόμεθα ὑμεῖς οὔτε ὅτι Ἐπιποῦς υἱὸς ἦν τῆς δοῦλης, οὔθ' ὅτι καταλιπὼν Πάρον διὰ πενίαν καὶ ἀπορίαν ἦλθεν εἰς Θάσον. Atque ex hoc quidem loco illum materno genere etiam servili fuisse condicione cognoscimus. Alcaeus contra inlustri loco natus ex optimatibus fuit, qui resistebant tyrannis urbis patriae. In his fuit Pittacus, aesympneta (αἰσυμπνήτης) factus, sive ut Valer. Max. IV, 1 ext. 6 scribit: 'tyrannidem a civibus delatam adeptus,' quem nobiles Mitylene expulsi duce Alcaeo eiusque fratre Antimenide oppugnabant. Conf. Dionys. Hal. A. R. V 73 (p. 1022 R.): οἱ γὰρ αἰσυμπνῆται καλούμενοι παρ' Ἑλλήσι τὸ ἀρχαῖον, ὡς ἐν τοῖς περὶ βασιλείας ἱστορεῖ Θεόφραστος, αἰρετοὶ τινες ἦσαν τύραννοι· ἤροῦντο δ' αὐτοὺς αἱ πόλεις οὔτ' εἰς ἀόριστον χρόνον, οὔτε συνεχῶς, ἀλλὰ πρὸς τοὺς καιροὺς, ὅποτε δόξειε συμφέρειν καὶ εἰς ποσὸν χρόνον, ὥσπερ καὶ Μιτυληναῖοι ποτε εἴλοντο Πιττακὸν πρὸς τοὺς φρυγάδας τοὺς περὶ Ἀλκαῖον τὸν ποιητὴν. Aristot. Polit. III. 9,5: οἷον εἴλοντό ποτε Μιτυληναῖοι Πιττακὸν πρὸς τοὺς φρυγάδας, ὧν προειστήκεσαν Ἀντιμενίδης καὶ Ἀλκαῖος ὁ ποιητής. Welker: *Kleine Schriften* Vol. I p. 126 sqq. Iam vides quatenus ab Archilocho *ordine* dispar fuerit Alcaeus. Ordinem enim intelligo ut est apud Terent. Eunuch. II, 2,3: 'Conveni hodie adveniēns quendam mei loci hinc atque ordinis hominem.' Cic. in Verr. I, 48,127: 'An vero dubitamus, quo ore iste ceteros homines inferiores loco, auctoritate, ordine — solitus sit appellare?' Nep. Att. XIII 6: 'cum imprimis lautus esset eques Romanus, et non parum liberaliter domum suam omnium ordinum homines invitaret.' Alcaeus autem cum ex optimatium numero esset atque adeo suae factionis per aliquod tempus princeps, non ita magnis rerum angustiis ac difficultatibus mihi videtur conflictatus esse. Atque carminibus suis etiam si ipse persecutus est 'dura navis, dura fugae, mala dura belli', ut est apud Horat. Carm. II, 13,27 sq., et dum exul fuit condicione ac fortuna minus bona secundaque usus est, cuius rei significationem putat Bernhard. Hist. litt. Gr. Vol. II p. 481 sq. ed. II. contineri reliquias, quas servavit Stob. Floril. XCVI 17 (apud Bergk. P. L. Gr. 90):

Ἀργάλεον πένια, κάκον ἄσχετον, ἅ μέγα δάμναις
λαῶν ἀμαχανία σὺν ἀδελφίῳ.

et Schol. Pind. Isthm. II 17 (apud Bengk. 50):

Ὅς γὰρ δή ποτ' Ἀριστόδαμόν φαισ' οὐκ ἀπάλαμνον ἐν Σπάρτῃ λόγον
εἶπεν· χρήματ' ἄνηρ, πένιχος δ' οὐδεὶς πέλετ' ἔσλος οὐδὲ τίμιος.

is status ad tempus fuit, mutatusque sine dubio cum Alcaeo Pittacus, qua hic erat animi altitudine ac liberalitate, veniam daret. Quamquam res non censeo nihil intelligendas esse nisi opes ac divitias, pauloque latius patere, ita ut respondeant nostro vocabulo '*Verhältnisse*.' Archilochus igitur cum, quod esset rebus afflictis ordineque inferior, a Lycambe esset despectus atque 'spretus' (Horat. Epod. VI 13) et filia quam in matrimonium petebat denegata, Horatius illum ait inde argumentum sumpsisse *iamborum*, quibus et Lycamben et alios, quibuscum ei privatim erant inimicitiae ac similitates, insectatus esset. Alia fuit ratio Alcaei, cuius

Pugnās et exactos tyrannos

Densum humeris bibit aure vulgus,

ut ait Horat. Carm. II, 13,31 et 32. Itaque eius carmina quae in hoc genere versabantur vocabantur *στασιωτικά*. Conf. Strab. XIII p. 617: Ἐτυραννήθη δὲ ἡ πόλις κατὰ τοὺς

χρόνους τούτους ὑπὸ πλειόνων διὰ τὰς διχοστασίας· καὶ τὰ στασιωτικὰ καλούμενα τοῦ Ἄλκαίου ποιήματα περὶ τούτων ἐστίν. Ἐν δὲ τοῖς τυράννοις καὶ ὁ Πιττακὸς ἐγένετο. Ἄλκαῖος μὲν οὖν ὁμοίως ἐλοιδορεῖτο καὶ τούτῳ καὶ τοῖς ἄλλοις, Μυρσίλῳ, καὶ Μεγαλαγύρῳ καὶ τοῖς Κλεωνακτίδαις, καὶ ἄλλοις τισὶν, οὐδ' αὐτὸς καθαρεύων τῶν τοιούτων νεωτερισμῶν. Πιττακὸς δ' εἰς μὲν τὴν τῶν δυναστειῶν κατάλυσιν ἐχρήσατο τῆ μοναρχίᾳ καὶ αὐτὸς· καταλύσας δὲ ἀπέδωκε τὴν ἀντονομίαν τῇ πόλει.

Welkeri auctoritate adducor ut in his Strabonis verbis paulisper subsistendum esse censeam. Ille enim l. d. p. 130 ita scribit: 'Die Interpunction ἐχρήσατο τῆ μοναρχίᾳ καὶ αὐτὸς· καταλύσας δὲ ἀπέδωκε *z. t. l.* veranlasst durch die unbequeme Stellung des δὲ, haben wir abgeändert, da nach ihr καὶ αὐτὸς sich auf nichts bezieht, während es dem Folgenden seinen rechten Nachdruck giebt.' Ipse igitur distinguendi signo inter αὐτὸς et καταλύσας sublato verba καὶ αὐτὸς ad ea quae sequuntur rettulit. Sed ut omittam, per verborum ordinem mihi videri fieri non posse ut verba hunc in modum coniungantur, a recta etiam sententia aberratum esse existimo. Respondent enim sibi superiora: οὐδ' αὐτὸς — νεωτερισμῶν, et quae infra posita sunt: Πιττακὸς — ἐχρήσατο τῆ μοναρχίᾳ καὶ αὐτὸς, dicitque Strabo, quem ad modum Alcaeus in tyrannis persequendis a rerum novarum studio non prorsus alienus fuerit, ita Pittacum optimatium opibus fractis, cum penes unum esset summa rerum, statum rei publicae immutasse. Strabo autem Alcaeam novandi i. e. rei publicae statum convertendi cupidum fuisse quod dicit, utrum, id quod Welker l. d. p. 133 arbitratur, parum accurate egerit, necne, cum nullo alio testimonio quid praeter tyrannorum exactionem Alcaeus secutus sit constet, ut decerni non iam potest, ita Strabonis verbis fidem derogandam esse non censeo. Ex vocabulo νεωτερισμοῦ saltem nihil effici posse patet e Platonis verbis Rep. 422. A: Πλοῦτός τε, ἦν δ' ἐγώ, καὶ πενία, ὡς τοῦ μὲν τρυφήν τε καὶ ἀργίαν καὶ νεωτερισμὸν ποιούντος, τοῦ δὲ ἀνελευθερίαν καὶ κακοεργίαν πρὸς τῷ νεωτερισμῷ.

Sed, ut ad propositum revertar, in illo carminum genere non substitit Alcaeus,

*Qui ferox bello, tamen inter arma,
Sive iactatam religarat udo
Littore navim,
Liberum et Musas Veneremque et illi
Semper haerentem puerum canebat
Et Lycum nigris oculis nigroque
Crine decorum.*

Conf. Horat. Carm. I. 32, 6—12. Et talia quidem carmina, quae diversi erant ab Archilochiis argumenti, existimandum est Horatium praedicare a se, Latino fidicine, vulgata esse.

Iam verborum sententia aperta est. Restat ut haec quam apta sint illi Horatii loco paucis explicem. Atque ex iis quae adhuc exposita sunt illud patet, verba 'sed rebus et ordine dispar' ad unum referenda esse Alcaeam, ita ut quodam modo respondeant vocabulo 'mascula'. Quem ad modum enim v. 28 significatur, Sappho, cum masculi fuerit ingenii, ut necesse non esset aliorum sequeretur exemplum, in versibus tamen metrisque eligendis Archilochum secutam esse, ita verbis illis 'rebus et ordine dispar' causa redditur, unde factum sit, ut

Alcaeus, etiam si carmina sua Archilochi pede temperaverit, tamen ad ipsum iamborum genus delapsus non sit. Atque ea ipsa re Horatius suam causam quam maxime defendit. Cohærent autem verba 'sed — dispar' ita cum proximis, ut ne minimo quidem signo post *dispar* interpungendum esse censeam, quodque restringitur atque excipitur non continetur verbis rebus et ordine dispar, sed v. 30 et 31. Quare prius *nec* non Graecorum οὐδὲ est, sed οὐτε, quod magis etiam patebit, si sententiam ita explanaveris: Utitur Alcaeus Archilochi versibus, sed cum rebus et ordine dispar sit, nec socerum quaerit quem versibus oblinat atris, nec sponsae laqueum famoso carmine nectit, aliaque carminibus suis atque Archilochus argumenta persequitur.

VIII.

Alcaeus qualis fuerit postquam in superiore capite demonstratum est, placet subvenire Mimnermo, aut si mavis Porphyrioni, qui verbis Horat. Epist. II, 2,101:

Fil Mimnermus et optivo cognomine crescit

haec annotavit: 'Alcaeus autem lyrici carminis, Callimachus elegiaci auctor est, Mimnermus duos libros luculentos scripsit.' Ita haec in Scholiastarum Horatianorum libris manu scriptis typisque descriptis exstant, nisi quod nomen Mimnermi corruptum est, et pro particula *autem* in edit. Fabric. *vero*, pro *luculentos* in cod. Monac. *luculentibus* exaratum. Sed nisi inepte volumus Porphyriionem egisse, mihi dubitari non posse videtur, quin ei non qua arte Mimnermus libros scripserit, sed quodnam poesis genus persecutus sit commemorandum fuerit. Itaque aut quaedam excidisse existimandum est, aut vocabulum 'luculentos' corruptum esse. Atqui illud, quae est totius scholii ratio, non ita veri simile videtur; haerere igitur aliquid vitii in illo adiectivo censendum est. Notum est autem, Mimnermum elegis scribendis ita floruisse, ut essent, qui eum carminis elegiaci auctorem esse putarent. Conf. Orion. p. 58: *Εὐρετὴν δὲ τοῦ ἐλεγείου φασὶν οἱ μὲν τὸν Ἀρχιλόχον, οἱ δὲ Μίμνεμον, οἱ δὲ Καλλίνον.* A re non erit alienum comparare alterum eiusdem Porphyriionis scholion ad Hor. Epist. I, 6,65 quod in edit. Fabric. ita descriptum est: 'Mimnermus elegans scriptor fuit quidam, ecloga Hieronymi sectam commendans, summum bonum ait indolentiam, quam Graece ἀναλγησίαν nominat. Molestias amores plus quam gaudii habere demonstrat.' Haec, quae corrupta esse nemo non videt, emendatiora ex Ms. Monac. dedit Orellius: 'Mimnermus elegiarum scriptor fuit, qui in quadam ecloga Hieronymi sectam commendans summum bonum indolentiam ait, quam Graeci ἀναλγησίαν nominant.' Hieronymus, cuius hic mentio fit, cum sit ille Rhodius et Peripateticus imprimis nobilis, Orellius errorem in tempore esse putat, quod mihi probabile non videtur. Scholiastam enim arbitror neque satis accurate neque opportune suoque loco doctrinam suam ostentasse, sed nihil aliud tamen dicere in animo habuisse nisi Mimnermum poetam eam sententiam, quam Hieronymus philosophus postea de summo bono explicasset, in carmine quodam iam commendasse. Quae si recte se habent, ita videtur scholion in integritatem restituendum esse, ut scribatur: 'Mimnermus elegiarum scriptor fuit, qui in quadam ecloga Hieronymi sectam commendans, qui summum bonum ait indolentiam, quam Graece ἀναλγησίαν nominat, molestias amoris plus incommodi quam gaudii habere demonstrat.' Fr. Pauly in sua

Schol. Horat. editione annotat, in cod. Monac. esse *ἀπονίαν* non *ἀναλγησίαν*, et post 'amoris plus' vocabulum 'incommodi'. Atque hoc, quod itidem in *Auctar. Comment. Cruq.* est, retinendum potius duco quam emendetur: 'molestiae amores plus quam cet. '; in nomine *ἀναλγησίαν* autem etiam si Orellii fidem concedere velis minorem esse quam Paulyi, *ἀπονίαν* tamen ut praeferrem commoveri non potui. Et *ἀναλγησίαν* quidem auctoritate a libris petita non caret, cum non solum in Fabric. editione iisque quas Pauly contulit Patav. et Mediol. sed etiam in *Auctar. Comment. Cruq.* exstet. Huc accedit aliud idque ut mihi videtur gravius argumentum. Vacuitas doloris et animi et corporis Graece fere dicitur *ἀπονία*. *Ἀναλγησία* autem quamquam idem significare potest, plerumque tamen eius est, qui nihil sentit, unde factum est, ut saepius etiam vis stuporis et immanitatis subiceretur. Ipsum autem *indolentiae* verbum non modo illud *ἀναλγησίαν* suspectum non reddere, sed multum etiam commendare effici licet e Cic. T. D. III, 6,12 verbis: 'Minime, inquit, assentior iis, qui istam nescio quam indolentiam magno opere laudant, quae nec potest ulla esse, nec debet.' Nam hoc Crantoris dictum, quod Cicero Latine reddidit, exstat apud Plut. Consol. ad Apollon. c. 3 (p. 407 ed. Wyttenb.): *Οὐ γὰρ ἔγωγε συμφέρομαι τοῖς τὴν ἀγρίαν ὑμνοῦσι καὶ σκληρὰν ἀπάθειαν, ἔξω τοῦ θνητοῦ καὶ τοῦ συμφέροντος οὖσαν*. Sonat autem vox *ἀναλγησίας* fere idem atque *ἐπαθείας*. Itaque Plut. Publ. c. 6 cum rhetorum quadam copia utrumque vocabulum iuxta collocatur in hac sententiarum concinnitate: *Ἡ γὰρ ἀρετῆς ὕψος εἰς ἀπαθειαν ἐξέστησε τὴν ψυχὴν (τοῦ Βροῦτιου), ἢ πάθους μέγεθος εἰς ἀναλγησίαν*. itidemque coniungitur Gell. N. A. XII, 5,10: *ἀναλγησία* enim atque *ἀπάθεια* non meo tantum, inquit (Taurus), sed quorundam etiam ex eadem porticu prudentiorum hominum, sicuti iudicio Panaetii, gravis atque docti viri, improbata abiectaque est. Cum quibus verbis conf. I, 26,10: 'Non idem esse existimavit (Taurus) *ἀοργησίαν καὶ ἀναλγησίαν*, aliudque esse non iracundum animum, aliud *ἀνάλγητον καὶ ἀναίσθητον* i. e. hebetem et stupentem.' Neque vero aliunde potest quidquam peti, quo res de qua disputo plane decernatur; de Hieronymo enim nihil nobis traditum est, nisi finem illi summumque bonum esse visum non dolere, quae sententia pluribus locis, quos Orellius *Onomast. Tull.* p. 285 collegit, a Cicerone commemorata est. Conf. quae Madvig. annotavit Cic. de Fin. II, 3,8. Quae cum ita sint, ab Hieronymo illud *ἀναλγησίας* vocabulum ad vim *indolentiae* significandam ut mihi vedetur accomodatius existimo usurpatum in eiusque locum postea *ἀπονίαν* substitutam esse, quae in doloris molestiaeque vacuitate saepius dicitur. *Indolentia* autem cum non solum *ἀναλγησία* sed etiam *ἀπάθεια* et *ἀπονία* Graece dici possit, aut parum accurate egit scholiasta, si indolentiam tradidit Graecos nominasse *ἀναλγησίαν*, aut quod mihi persuasum est a Fabric. scriptura: 'quam Graece *ἀναλγησίαν* nominat' discedendum non est, qua scholiastam verbum Hieronymi proprium attulisse indicatur.

Sed ut iam eo unde discessi redeam, quem ad modum in scholio, de quo modo exposui, *elegiarum* depravatam est, cum in edit. Fabric. et Mediol. suppositum sit *elegans*, in Patav. *eleganter*, ita in schol. Epist. II, 2,101 illud *luculentos* corruptum esse censeo. Ac nisi fallor potest iam alterum alterius ope emendari. Fuit igitur Mimnermus, ut Porphy. ad Epist. I, 6,65 scripsit, 'elegiarum scriptor', idemque ab Anonymo ad calcem Censorin. c. 9, p. 140 nominatur 'elegiarius', ab Suida *ἐλεγειοποιός*, atque adeo, ut supra vidimus, a non nullis

elegorum auctor habebatur. Itaque non inepte pro *luculentos* puto restitui *elegiacos*. Sed ne sic quidem mihi omnia recte se habere videntur, cum illa 'Callimachus elegiaci auctor est' ab iis, quae deinceps sequuntur 'Mimnermus duos libros elegiacos scripsit' non bene excipiantur. Huc accedit, quod nemo praeter Porphyrionem duorum Mimnermi librorum mentionem fecit. Maxime celebratum est a multisque commemoratum eius carmen quod *Ναννώ* inscribatur cuius reliquias collegit Bergk. P. L. Gr. p. 314—318 (ed. I). Praeterea Pausanias IX, 29 haec tradidit: *Μίμνερος δὲ ἐλεγεία εἰς τὴν μάχην ποιήσας τὴν Σμυρναίων πρὸς Γύγην τε καὶ Λυδοὺς φησιν ἐν τῷ προοιμίῳ κ. τ. λ.* Maxime Porphyrionis testimonium infirmatur his Suidae verbis: *Μίμνερος, Αἰγυπτιᾶδου, Κολοφώνιος ἢ Σμυρναῖος ἢ Ἀστυπαλαίου, ἐλεγειοποιός· γέγονε δὲ ἐπὶ τῆς 13' Ὀλυμπιάδος, ὡς προτιθεύειν τῶν 5' σοφῶν· τινὲς δὲ αὐτοῖς καὶ συγχρονεῖν λέγουσιν, ἐκαλεῖτο δὲ καὶ Αἰγυπτιᾶδης διὰ τὸ ἐμμελὲς καὶ λιγύ· ἔγραψε βιβλία ταῦτα πῦλλα.* Cum his vides non convenire duos Mimnermi libros. Neque tamen Porphyrioni fidem derogandam censeo, sed negligentia librariorum iniuriam esse inlatam et a Porphyrione quod profectum erat, QUOQUE dico, id scribendi compendio facto transisse in DUOS.

IX.

Ad Horatii scholiastas delato mihi emendationem cum, quae etiam nunc est horum misera condicio, possim plures unam placet, eamque ut mihi videtur certam praestare, quae, si refert viros cognovisse qui in Horatii poematis commemorantur, ad hunc quoque pertinet. Annotavit ad Hor. Serm. II, 3,36: *Atque a Fabricio non tristem ponte reverti* Comment. Cruq. haec: 'Hic autem pons Fabricius dictus est a Fabricio consule conditore, qui nunc Lapidus nominatur, iunctus insulae Tiberinae.' In eandem sententiam scripsit Acon, cuius verba ita descripta sunt apud Fabricium: 'Qui modo lapideus dicitur. Pons Fabricius habet a conditore vocabulum, qui iungitur insulae Tiberinae. Nominatus a Fabricio consule.' In his, ut ab hac leviori re incipiam, facili rectaeque loci intelligentiae obstat maximum post *dicitur* interpunctionis signum; neque Fr. Pauly satis obscuritatem sustulit, qui ita haec descripsit: 'Qui modo lapideus dicitur, 'pons Fabricius' habet a conditore vocabulum cet.' Neque enim *pons Fabricius* signis, si uti velis, sed *lapideus* includendum est. Maior enim vis inest in eo quo scholiasta suo tempore pontem appellatum esse dicit nomine. Ita igitur Germanice illa sunt reddenda: *Die jetzt sogenannte steinerne Fabriciusbrücke hat ihren Namen* cet. Sed haec ut dixi leviora. Pontem illum factum esse 692 a. u. c. cognoscimus ex Dione Cassio, qui XXXVII 45 haec memoriae tradidit: *Τότε (i. e. 692 a. u. c.) μὲν ταῦτά τε ἐγένετο καὶ ἡ γέφυρα ἡ λιθίνη ἢ ἐς τὸ νησίδιον τὸ ἐν τῷ Τιβερίδι ὃν φέρουσα κατασκευάσθη, Φαβριζία κληθεῖσα.* Illo autem anno non Fabricius consulatum gessit, sed D. Junius Silanus L. Licinius Murena. Quare nisi et Aconem et Commentatorem Cruquii volueris inscientiae arguere, fatendum est hic consuli Fabricio nullum esse locum; idque primus recte attendit Ritter, qui pro *consule* dubitanter tamen substituendum esse censet *consore*. Cum autem e Cic. Epist. ad Attic. I, 17,9 quae Non. Decembr. 693 a. u. c. scripta est hisce verbis: 'Asiani, qui de censoribus conduxerunt, questi sunt in senatu se cupiditate prolapsos nimium magno conduxisse' et ex Dion. Cass. XXXVII 46:

Ἐν δὲ δὴ τῷ ἔτει ἐκείνῳ (i. e. ut ipse Dio refert ἐπὶ Πίσωνος καὶ ἐπὶ Μάρκου Μεσσάλου ὑπατῶν 693 a. u. c.) οἳ τε τιμηταὶ πάντας τοὺς ἐν ταῖς ἀρχαῖς γενομένους ἐς τὸ βουλευτικὸν καὶ ὑπὲρ τὸν ἀριθμὸν ἐσέγραψαν κ. τ. λ. constat de censoribus 693 a. u. c. est sane cur dubites, num anno priore itidem censores fuerint, praesertim cum e Cic. Epist. ad Attic. I, 18,8 quae scripta est XI Kal. Febr. Q. Metello L. Afranio coss. i. e. 694 a. u. c. verbis: 'Nam ne absens censeare, curabo edicendum et proponendum locis omnibus. Sub lustrum autem censeri germani negotiatoris est.' pateat 694 a. u. c. lustrum habitum iri speratum esse. Fabricii autem res expeditur ac conficitur ex hac quae ipsius Fabricii pontis est inscriptione:

L. FABRICIVS C. F. CVR. VIAR
FACIVNDVM COERAVIT

Conf. Orell. Hor. vol. II. p. 274 sq. Quare non dubito quin Fabricius *curator viarum* cesserit Fabricio *consuli*. Saepe autem commemoratur curator viae, aut curator viarum; veluti curator viae Flaminiae Cic. Epist. ad Attic. I, 1,2; curator viae Appiae Orell. Inscript. Lat. 2367, cur. v. Aureliae ibid. 2272, 2369, 2760; cur. v. Valeriae 2274, curator viarum ibid. 150, curator viarum et pontium Umbriae et Piceni 3176. Fuisse autem illud munus satis honorificum videmus e Plin. Epist. V 15. Acronis igitur verba ita interpungenda esse censeo et emendanda: 'Qui modo lapideus dicitur pons Fabricius habet a conditore vocabulum, qui iungitur insulae Tiberinae, nominatus a Fabricio curatore viarum.'

Ne quis autem putet verba 'qui iungitur insulae Tiberinae', cum a nomine 'pons' ad quod referenda sunt interpositis illis 'habet a conditore vocabulum' iusto longius seiuncta sint, aut eicienda aut certe transponenda esse, apud ipsum Ciceronem non desunt exempla liberius ut nobis videtur collocatae sententiae relativae. Conf. Cic. Tusc. Disp. I, 1,2: 'Annis fere DX post Romam conditam Livius fabulam dedit C. Claudio, Caeci filio, M. Tuditano consulibus, anno ante natum Ennium, qui fuit maior natu quam Plautus et Naevius.' de cuius loci integritate sine iusta causa dubitari olim disserui; et Orat. pro Lig. 4,12: 'quae tamen crudelitas ab hoc eodem aliquot annis post, quem tu nunc crudelem esse vis, vindicata est.' qui locus itidem a non nullis in dubium vocatus est aut coniecturis tentatus. Similes locos attulerunt Dietsch et Fabri ad Sallust. Catil. 48 init., idemque Fabri ad Liv. XXI 26 init. 'Apparet autem', ut Dietschii verbis utar, 'id ibi tantum fieri potuisse, ubi ad quid relativum referendum esset lectores dubitare non possent.'

X.

Postremo capite breviori usus disputatione eos complectar locos, quorum nunc spatium tractandi datum est.

1. Cic. Tusc. Disp. I, 6,11 postquam auditor ad eam deductus est sententiam ut mortuos nusquam esse putaret et tamen miseros ob id ipsum quidem quia nulli essent, haec inconsiderate dicta esse magister ostendit his verbis: *Quem esse negas, eundem esse dicis. Ubi est acumen tuum? Cum enim miserum esse dicis, tum eum, qui non sit, dicis esse.* Moser

primus in postremis verbis offendit ac pro particula *tum* legendum esse *tu* suspicatus est. Kühner nullam esse causam cur pronomen efferatur recte quidem iudicat, sed omnia si putat expedita esse docendo 'particulas *cum — tum* saepe nostro *einmal — und dann* respondere', nec illarum particularum quae vis hic sit mihi tenere videtur, et rem magis impeditam esse cognoscere potuit ex iis, quae Klotzius ad verbum expressit: 'Wenn du nämlich Jemanden unglücklich nennst, so sagst du, dass der, welcher nicht ist, sei.' In his non est, duo quae inter se pugnent de eodem dici, quam sententiam perspicuum est ipso argumentandi tenore postulari. Habebimus autem quod quam maxime dici necesse est, si verba collocabuntur hunc in modum: *Cum enim miserum esse qui non sit dicis, tum eum dicis esse.* Unde factum sit, ut verborum ordo a librariis in describendo inverteretur obscurum esse non potest. Cum enim illa verba *qui non sit* suo loco mota et ut mihi videtur, quod in describendo praetermissa erant, in margine ascripta essent, imprudentia librarii accidit ut postea non ante prius sed ante posterius *dicis* ponerentur.

2. Postquam Cicero in oratione Miloniana omnia, quae et in senatu ab inimicis Milonis saepe iactata erant et in contione ab accusatoribus, refutavit, haec ita colligit 9,23: *Quam ob rem, iudices, ut aliquando ad causam crimenque veniamus, si neque omnis confessio facti est inusitata, neque de causa nostra quicquam aliter ac nos vellemus a senatu iudicatum est, et lator ipse legis, cum esset controversia nulla facti, iuris tamen disceptationem esse voluit, et electi iudices, isque praepositus est quaestioni, qui haec iuste sapienterque disceptet, reliquum est, iudices, ut nihil iam quaerere aliud debeatis, nisi uter utri insidias fecerit.* In his verba *et electi iudices* quamquam in omnibus ita ut feci descripta sunt codicibus suspicionem movent. Iudices enim, quod Matthiaeus aliique iam attenderunt, non eligi, sed legi aut deligi dicuntur. Conf. Milon. 8,21: 'Itaque delegit ex florentissimis ordinibus ipsa lumina, neque vero, quod non nulli dicitant, secrevit in iudicibus legendis amicos meos; neque enim hoc cogitavit vir iustissimus, neque in bonis viris legendis id assequi potuisset, etiam si cupisset.' ibid. 38,105: 'qui in iudicibus legendis optimum et sapientissimum et fortissimum quemque elegit.' Orat. Phil. V, 6,16: 'ut hos iudices legere auderet.' Itaque fuerunt qui illud electi mutarent aut in delecti, aut in lecti, aut in ii lecti, aut in ei lecti. Neque tamen hoc modo omnis difficultas sublata est. Nam lectos esse iudices nihil attinebat commemorare, quales illi iudices essent non minus intererat dicere, quam hoc in eo qui praepositus erat quaestioni factum est sententia relativa *qui haec iuste sapienterque disceptet* adiecta. Halmius autem, quem id non fugit, si ita iudicat: 'Bei dem Pronomen *ei* vor *lecti* (descripsit enim Halmius *ei lecti*) schwebte dem Redner der folgende Relativsatz bereits vor, der aber äusserlich nur an *isque praep.* etc. angeschlossen ist.', haud scio, quanam sententia rationi huius loci accommodata possit sumi ex illis verbis, *qui iuste sapienterque disceptet.* Nam si velis haec superioribus addere: *qui haec i. s. disceptent*, patet his iam contineri quod Cicero dicit reliquum esse. Tales enim iudices certa spes fuit fore ut in illa causa nihil aliud quaerent, nisi uter utri insidias fecisset. Huc accedit, ut nulla alia hic verbi *esse* forma possit suppleri nisi *sunt*, quod tamen cum ad ipsos iudices oratio conversa sit fieri nequit. Fuerunt quidem qui etiam huic incommodo mederi

vellent inter *iudices* et *isque* inserto verbo *estis*. Sed in omnibus quae ad difficultatem removendam tentata sunt illud remanet, quod iudices, quorum quas partes esse voluerit Cicero in apodosi significavit, antea non possunt apte commemorari. Quare illa verba 'et electi iudices' eicienda esse censeo. Mihi enim dubium non est quin profecta sint ab eo, qui cum omnia quae Milonis causae faverent in protasi putaret enumerari, iudicum qui delecti essent ex florentissimis ordinibus mentionem faciendam esse opinatus est.

3. Q. Asconius Pedianus *Argument. orat. Milon.* 3 haec memorat: 'Deinde cum diu tracta essent comitia consularia perficique ob eas ipsas perditas candidatorum contentiones non possent, et ob id mense Ianuario nullidum neque consules neque praetores essent, trahereturque dies eodem quo antea modo, cum Milo quam primum comitia confici vellet conficereturque cum bonorum studiis, quod obsistebat Clodio, tum etiam populi propter effusas largitiones impensasque ludorum scaenicorum ac gladiatorii muneris maximas —: a. d. XIII Kal. Febr. Milo Lanuvium, ex quo erat municipio et ibi tum dictator, profectus est ad flaminem prodendum postera die.' Semper equidem in illo *conficereturque* offendi. Nam Halmii interpretantis: 'und schon auf dem Wege war sie zu bewerkstelligen.' durior mihi videtur esse ratio. Propono igitur hoc, nisi me fallit, lenius remedium, ut una littera mutata scribatur *confidereturque*.

4. Hellenica Xenophontis quamquam cum aliorum tum L. Dindorfii opera et studio iam multo exstant emendatiora, supersunt tamen loci, in quibus acquiescendum non esse videatur. Num ex his possim unum difficultatibus quibus impeditus est liberare, experiar.

Cum Alcibiades postquam multa bona, plura gravioraque mala civitati attulit Athenas 407 a. Chr. reverteretur, varie hominum qui illum visuri in Piraeum convenerant animi fuerunt affecti. Et in iis quae homines faventes dicebant Xenophon commemorat Hellen. I, 4,16 haec: *οὐκ ἔφρασαν δὲ τῶν οἰωνοῦ αὐτὸς ὄντιον εἶναι καινῶν δεῖσθαι πραγμάτων οὐδὲ μεταστάσεως· ἰπάρχειν γὰρ ἐκ τοῦ δήμου αὐτῷ μὲν τῶν τε ἡλικιωτῶν πλέον ἔχειν τῶν τε προεσβυτέρων μὴ ἔλαττωσθαι, τοῖς δ' αὐτοῦ ἐχθροῖς τοιούτοις δοκεῖν εἶναι οἰοισπερ πρότερον, ὕστερον δὲ δυνασθεῖσιν ἀπολλύναι τοὺς βελτίστους, αὐτοὺς δὲ μόνους λειψθέντας δι' αὐτὸ τοῦτο ἀγαπᾶσθαι ὑπὸ τῶν πολιτῶν ὅτι ἐτέροις βελτίουσιν οὐκ εἶχον χρῆσθαι.* In hoc loco a multis multa sunt tentata, quae omnia non erit opus afferre. Bene de eo sententia potissimum aperienda meruit Reizius *De Prosod. Graec. accent. inclin.* p. 81—91. Verba autem *περ πρότερον, ὕστερον* δὲ cum delenda censuisset ut restarent *οἰοῖς δυνασθεῖσιν ἀπολλύναι κ. τ. λ.* hanc rationem F. A. Wolfius in iis quae Reizii disputationi p. 91 addidit recte improbavit. Nam 'imprimis', inquit, 'illud me pungebat, quod videre non possem, unde tandem aut quo glossatoris consilio nobis ista quattuor verba in hanc sedem potuissent inferri. Videbar itaque textum leniori quodam remedio sanare sic scribendo: *οἰοῖς περ πρότερον δυνασθεῖσιν ἀπολλύναι τοὺς βελτίστους, ὕστερον δὲ αὐτοὺς μόνους λειψθέντας* etc.' Sed ne id quidem quod Wolfius proposuit mihi videtur probandum esse. Neque enim apparet, quae causa fuerit ut illa *ὕστερον* δὲ suo loco moverentur, et horum verborum ordine inverso particula *δὲ* quae *αὐτοὺς* insequitur necesse est deleatur, quo facto tollitur oppositio quam esse apertum est inter *τοὺς βελτίστους* et *αὐτοὺς κ. τ. λ.* Neque in ea quam Wolfius esse vult sententia: 'dicuntur Alcibiadis inimici primum potentia quaesita abuti consuevisse ad optimatem quemque evertendum,

ut postea civitas, melioribus ducibus suis orbata, non posset non contenta esse istis solis relictis, video qui locus esse possit imperfecto εἶχον. Omnia autem recte se habere mihi videntur si verba ὕστερον δὲ eiciantur, quae qui hunc locum interpolavit ne deessent, quae abesse propter ipsum illud πρότερον non posse arbitratur, addidit. Alcibiadis autem inimici cum quo tempore is in patriam rediit mutati non esse viderentur, sufficit quales antea fuerint scire, idque explicatur verbis δυνασθεῖσιν — χρῆσθαι. Illi igitur prius potentiam nacti optimum quemque perdebant, in ipsis autem cum soli relictis essent acquiescebat civitas quod quibus melioribus uteretur non habebat, neque haec illorum ingenia et studia videbantur eo tempore quo Alcibiades Athenas revertit alia esse, ut ab his quid expectandum esset quis intelligeret.

5. Iam finem faciam cum duo Thucydides locos illustravero emendando unum alterum explicando. Athenienses, ubi Potidaeam defecisse et a Corinthiis huic auxilia esse missa nuntiatum est, itidem duo milia militum gravis armaturae cum quadraginta navibus mittunt, qui primum quidem Pydnam obsidebant, unde paulo post pactione cum Perdicca rege Macedonum facta discesserunt. Haec postquam Thucydides narravit I 61 ita pergit: καὶ ἀφικόμενοι εἰς Βέροϊαν κατέβηθ' ἐπιστρέψαντες καὶ πειράσαντες πρότιν τοῦ χωρίου καὶ οὐχ ἔλόντες ἐπορεύοντο κατὰ γῆν πρὸς τὴν Ποιίδαίαν. Iam haec interpretantur fere hunc in modum: Ac postquam Beroeam pervenerunt inde conversi et tentato quidem prius oppido neque capto proficiscebantur itinere terrestri contra Potidaeam. Conf. quae Thiersch *Act. phil. Mon.* III 3, et Poppo ad Thuc. locum exposuit. Illud ἐπιστρέψαντες autem obscurius dictum omnemque rationem esse contortiore non opus esse existimo ut pluribus demonstratur. K. W. Krüger certe non dubitavit quod Pluygers pro ἐπιστρέψαντες scribendum esse censuit ἐπὶ Στρέψαν recipere. Male autem nescio quo pacto me habet ἀφικόμενοι εἰς Βέροϊαν — ἐπὶ Στρέψαν. Itaque illud ἐπιστρέψαντες integrum esse relinquendum existimo, id autem quo declaratum sit quo se converterint Athenienses excidisse. Strepsa autem cum illius regionis oppidum fuerit (conf. Harpoer.: Στρέψα πόλις ἐστὶ Θράκης, ὡς Ἑλλάνιος ἐν β' Περσικῶν ἐπισημαίνει, et Aeschin. Or. 2, p. 31: εἰληφότος δὲ Ἀθημοῦντα καὶ Θέρμαν καὶ Στρέψαν κ. τ. λ.) si scribitur ἐπὶ Στρέψαν ἐπιστρέψαντες, patet unde factum sit ut ἐπὶ Στρέψαν interciderit.

Similis ratio mihi videtur esse loci Xenophontis Hellen. IV 5,19: Τὸ μὲντοι Λεχάϊον ἐφροῦρον οἱ Λακεδαιμόνιοι καὶ οἱ σύμμαχοι. Οἱ φηγάδες δὲ τῶν Κορινθίων, οὐκέτι πεζῇ παριόντες ἐκ Σικυῶνος διὰ τὴν τῆς μόρας δυστυχίαν, ἀλλὰ παραπλέοντες καὶ ἐντεῦθεν ὁρμώμενοι πράγματα εἶχόν τε καὶ παρείχον τοῖς ἐν τῷ ἄστει. Xenophontem nisi forte negligentius scripsisse arbitraberimur, locum quo Corinthiorum exules hostes lacessituri navibus profecti sint satis definitum non esse concedemus. Hoc sensit Schneider, qui dubius interrogat: 'An semper ex Sicyone maritimo itinere transgressi, an potius ex Lechaeo cum Lacedaemoniis?' Verba autem καὶ ἐντεῦθεν ὁρμώμενοι nisi fallor exules solos egisse indicant. Quam ob rem post παραπλέοντες equidem in describendo aliquid praetermissum esse puto.

6. De muris Piraei Themistoelis consilio exstructis scribit Thucydides I 93: Καὶ ὀκοδόμησαν τῇ ἐκείνου γνάμῃ τὸ πάχος τοῦ τείχεος, ὅπερ νῦν ἔτι δῆλόν ἐστι περὶ τὸν Πειραιῶ· δύο γὰρ ἄμαξαι ἐναντία ἀλλήλαις τοὺς λίθους ἐπέγον. ἐντὸς δὲ οὔτε χάλιξ

οὔτε πηλὸς ἦν, ἀλλὰ ξυμφκοδομήμενοι μεγάλοι λίθοι καὶ ἐν τομῇ ἐγγώνιοι σιδηρῶ πρὸς ἀλλήλους τὰ ἐξωθεν καὶ μολύβδῳ δεδεμένοι. Verbis autem his δύο — ἐπιγῶν quae contineatur sententia magna est interpretum dissensio. Annotavit scholiasta: Ἐναντία ἀλλήλαις: ἢ ὑπαντιῶσαι ἀλλήλαις ἢ συνεζευγμένοι διὰ τὰ μέγεθρα τῶν λίθων. Neque per notionem adiectivi ἐναντία, quae hoc loco qualis sit infra videbimus, alterutrum licet probare, et recentiores si ab Heilmanno, interprete Germano, discesseris, qui quod posteriore loco scholiasta posuit amplexus est, alia excogitarunt. Ac Bloomfield quidem putat lapides sublato videri in aliquam muri partem per planitiem fastigatam et deinde in muro plaustri vectos, neque Arnoldo duo plaustra perpetuo inter se occurrentia super muros vecta esse non videntur. Super murum autem qui aedificari coeptus est quo modo aut plaustorum ope lapides advehi potuerint aut cur plaustri inter se occurrentibus opus fuerit vix aut ne vix quidem intelligi potest. Haec igitur cum non satis procederent, aliud expediendi genus tentarunt. Notum est quid de Babylonis moenibus traditum sit a scriptoribus veteribus. Conf. Curt. V 4,25: 'Murus spatium XXX et duorum pedum in latitudinem amplectitur: quadrigae inter se occurrentes sine periculo commeari dicuntur.'; Strab. XVI 1 p. 738: ἡ δὲ πάροδος τοῖς ἐπὶ τοῦ τεύχους ὥστε τέθριππα ἐναντιοδραμεῖν ἀλλήλοις ῥαδίως. Atqui de curribus qui inter se occurrentes super muros exstructos vecti essent cum nihil auditum sit, neque facile cogitari possit, nihil reliquum erat nisi ut tantam fuisse Piraei muri latitudinem putarent, ut duo inter se occurrentes currus sine periculo commeari possent. Atque in hanc sententiam scripsit Aristoph. Av. 1125 sqq.

Κάλλιστον ἔργον καὶ μεγαλοπρεπέστατον·
ὥστ' ἂν ἐπάνω μὲν Προξενίδης ὁ Κομπασεύς
καὶ Θεογένης ἐναντίω δὴ ἄμαξαι,
ἵππων ὑπάντων μέγεθος ὅσον ὁ δούριος,
ὑπὸ τοῦ πλάτους ἂν παρελασάτην.

Thucydides autem si tale quid dicere voluisset, scribendum non fuit ἐπιγῶν, debuit pro re aut παρελάσειαν ἂν aut παρήλασαν ἂν aut simili quodam modo scribere. Itaque mirum non est eo tandem perventum esse ut de verbis illis δύο γὰρ ἅμαξαι ἐναντία ἀλλήλαις τοὺς λίθους ἐπιγῶν eiciendis cogitaretur. Et primus quidem hoc fecit Schneidewin eumque secutus est in novissima sua Thucydidis editione K. W. Krüger. Ad hoc tamen remedium prudentibus persuasum est non prius confugiendum esse quam de omni interpretationis auxilio desperandum sit. Itaque conabor num iusta explicatione et Thucydidis verba possim intacta servare et eorum qui eum legunt expectationi satis facere. Thucydides igitur postquam dixit posse etiam tum aut e fundamentis et reliquiis muri, si a Lacedaemoniis, quod Krüger ad Dionys. p. 250 et Vit. Thucyd. p. 72 arbitratur, iam dirutus erat, aut e muro ipso, si, ut opinatur Ullrich in libro quem inscripsit *Beiträge zur Erklärung des Thucyd.* p. 143, illo tempore exstabat, intelligi, quanta fuerit latitudo muri, quem magnam partem ex ingentibus lapidibus, qui plumbo ferroque continebantur, exstructum esse deinceps scribit, mirum sane potuit videri, in tanta muri latitudine tantas lapidum moles si ab una parte advehebantur in alteram partem transportatas esse. Atque huic difficultati quo modo occursum esset ut explicaret, ab utraque muri parte

lapides plaustris advectos esse dicit. Sunt autem *ἀμαξαι ἐναντιαί* non ut fere putant 'plaustra ex adverso alterum alteri obvia s. occurrentia', sed quae diversis regionibus adveniunt, neque 4,23, quem locum iam plerique pro sua interpretatione afferunt, *Ἀθηναῖοι μὲν δυοῖν ἐναντίαν ἀεὶ τὴν νῆσον περιπλέοντες τῆς ἡμέρας* naves inter se occurrentes intelligendae sunt, quamquam poterant cursu continuato inter se occurrere, sed quae in contrarias partes insulam circumvehebantur. Eademque vis apud Homerum huic adiectivo subiecta est II. *Α 67 ὣσιν ἀμητῆρες ἐναντιοὶ ἀλλήλοισιν ὄγμον ἐλαύνωσιν*, quo loco non ii intelligendi sunt, qui metendo inter se praetereunt, sed messorum qui e diversa segetis parte inter se appropinquant certantes scilicet utri prius suo opere defuncturi sint.



INDEX

locorum qui aut emendati sunt aut explicati.

	Pag.		Pag.
Acron. ad Horat. Serm. II, 3,36	25 sq.	Cic. de Petit. cons. 11,43	9
Ascon. Ped. Argum. in Orat. Mil. 3	28	Hom. II. <i>Α 67</i>	31
Cic. Orat. pro Ligar. 4,12	26	Hor. Epist. I, 19,28	17 sq.
" " " Mil. 9,23	27	" " I, 19,29	19 sq.
" " " Planc. 14,34	12 sq.	Porphyr. ad Hor. Epist. I, 6,65	23 sq.
" " " " 18,45	15 sq.	" " " " II, 2,101	23 sq.
" " " " 20,49	7 sq.	Schol. Ambros. Cic. Orat. p. Planc. 14,34	15
" " " " 20,50	17	Strab. XIII p. 617	22
" " " " 25,61	10 sq.	Thueyd. I, 61	29
" " " " 27,67	8 sq.	" I, 93	30
" Tusc. Disp. I, 6,11	26 sq.	Xenoph. Hellen. I, 4,16	28
" " " I, 8,15	5	" " IV, 5,19	29

INDEX

rerum et verborum de quibus disputatum est.

	Pag.
Alcaeus quatenus rebus et ordine dispar fuerit ab Archilocho	20 sq.
Alcaei carmina diversi ab Archilochiis argumenti	22
Alcaei exulum Mitylenaeorum dux	21
Alcaei rerum novarum studium	22
Alcaei <i>στασιωτικά</i>	21
Aliquis aliquando	13
Archilochi res angustae	20
Archilochi servilis materno genere condicio	21
Carmen	18 sq.
Censores a. u. 692 nulli	25 sq.
Ciceronis studium facetiarum	14
Ciceronis facete dicta collecta et edita	15
Curatores viarum	26
Diribere tribus	8
<i>Ἐναντία ἀμαξία, νῆες, ἀμητῆρες</i>	30 sq.
Et non	11
Fabricius, curator viarum, condidit pontem Fabricium	26
Hieronymi, philosophi Peripatetici, <i>ἀναλγησία</i>	23 sq.
Indices leguntur aut deliguntur, non eliguntur	27
Mimnermus elegiarius (<i>ἐλεγειοποιός</i>) cognominatus	24
Mimnermi num duo fuerint carminum libri	25
Non — sed	9
Ordo	20
Relativum a nomine suo disiunctum	26
Rem gerere, rem publicam gerere	11 sq.
Strepsa urbs	29
Temperare	18
Ut fit, ita ut fit, ut fere fit	13

